









1709.

Nicolas, Venit : De obligatione commendantis.

1710.

1. Bielfeldt, Ernestus Wilhelmus : Fideus inaequalis.
2. Hesse, Zacharius : De pacto emendi et vendendi.
- 3, 6.^{te} Lehmann, Reinholdus Fridonius : De sepulturae
negatione 3 exempl. 1710 - 1736.
4. Starinski, David : De poena conatus ad delinquen-
dum

1711.

1. Immerich, Georgius : De vulnere lethali.
2. Hesse, Zacharius : De origine et usu praescriptio-
nis et omnium bonae fidei et stricti juris.
3. Lilienthal, Michael : De fidei testimonio variorum
carumdem usum et abusu.
4. Schultz, Georgius : De immunitatibus medicorum
a muneribus.

1712.

Schultz, Georgius : De actione contra aedificatorem seu
aemulatore

1783

1. Christmann, Georg Christoph: De usu et abusu
medicinae.
2. Olearius, Jo. Gualter: De renumeratione feroc-
rum.
3. Lehmler, Richardus, Fredericus: De praesumptione mortis.
4. Herinski, David: De legitima jure Prutenica.

PRESENTATIO JURISCA,

IN IURIS
MAGISTRATIONE
SUSCIPIENTIS,

EX AMPLISSIMO
SACRO SACRAE MAJESTATIS
CATHOLICAE APOSTOLICAE SEDIS
SECRETARIIS

DOMINO FRIDERICO
WILHELMO

PRINCI PALATINO, ELECTORATIS ET PRINCIPATUS
BRANDENBURGICIS, SACRAE MAJESTATIS
CATHOLICAE APOSTOLICAE SEDIS
SECRETARIO

PRO LOCO

PROFESSORIS EXTRAORDINARIJ IN JURE
NATURALI

FRIDERICI WILHELMI,

SECRETARII

IN VITIS
MAGISTRI
M. D. C. C. C. C. C.

BEROLINI, IN QUINQUAGESIMO



13

C

A
R

H
D

EX

UNIVERSITÄT
MAGDEBURG



13
D. F. F. Q. S. G. 18. num. 22. ~~D. 28.~~
DISSERTATIO JURIDICA,

DE 1709 1
**OBLIGATIONE
COMMENDANTIS,**

Quam
Annunte Divini Numinis Clementia,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO AC EXCELSISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

W. A. D. J.
**DOMINO FRIDERICO
WILHELMO,**

REGNI PRUSSICI, ELECTORATUS ET PRO-
VINCIAE, BRANDENBURG. HEREDE, &c. &c. &c.
EX DECRETO MAGNIFICI AMPLISSIMIQUE SENATUS
in Alma Pregelana

PRO LOCO

PROFESSIONIS EXTRAORDINARIAE IN JURE
obtinendo,

Publico, ac placido Eruditorum examini submittit

DANIEL NICOLAI,

U. J. D.

RESPONDENTE

JOHANNES REINHOLDUS Grubel


Reg. Pruss.

IN AUDITORIO MAJORI

Horis ante- & pomeridianis

Ad d. Febr. ANNO MDCCIX.

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.



PATRI PATRIÆ
AUGUSTISSIMO,
SERENISSIMO atq; POTENTISSIMO
PRINCIPI ac DOMINO,
DN. FRIDERICO,
REGI PRUSSIÆ,
MARCHIONI BRANDENBURGICO,
S. R. I. ARCHI-CAMERARIO ET ELECTORI,
SUPREMO ARAUSIONIS ET NEOCOMI
PRINCIPI,
MAGDEBURGI, CLIVIÆ, JULIACI, MONTIUM,
STETINI, POMERANORUM, CASSUBIORUM, VINI-
DORUM ET MEGAPOLIS, ITEM IN SILESIA, CROSNÆ
DUCI,
BURGGRAVIO NORIMBERGENSI,
PRINCIPI HALBERSTADII, MINDÆ, CAMINI,
VANDALIÆ, SVERINI, RACEBURGI & MEURSÆ,
COMITI HOHENZOLLERÆ, RUPINI, MARCÆ,
RAVENSBERGÆ, HOHENSTEINII, TECKLENBURGI,
LINGÆ, SVERINI, BURÆ & LEFDAMI,
MARCHIONI VEHRÆ & VLISSINGÆ,
DYNASTÆ RAVENSTEINII, ROSTOCHII, STARGARDIÆ,
LAUENBURGI, BUTOVIE, ARLAIE AC BREDÆ, &c. &c. &c.
REGI FELICISSIMO,
DOMINO SUO LONGE CLEMENTISSIMO,

Hanc solennem Dissertationem, in humillimæ subjectionis ac gratitudinis signum, cum ardentissimo & devotissimo sempiternæ felicitatis ac Regiæ prosperitatis voto consecrat

subjectissimus & fidelissimus servus

PRÆFATIO.



Utilitatem materiæ ad ventilandum propositæ exponere si præsumerem, nihil quidem suscipere novi, communiter enim verba hac de re facere solent, qui inutilem non suscepisse laborem, videri volunt; nec difficilis foret probatio: Commendationes namque cum frequentissimæ sint in omni vitæ genere, utilitas quoque summa eorum, quæ de commendationibus in medium adferuntur, se facile exserit: & cum, commendantem obligari dicamus; utilitatem ex hac disquisitione haurient commendans pariter, ac is, cui commendatio facta: hic quidem, quod contra receptam hactenus communem opinionem commendantem sibi obligatum videat; ille, quia ex periculo, quod imminere videt, cautius agere discit, ne pronus adeo sit ad commendandum indistincte etiam non merentem: Verum prolixior materiæ ex capite utilitatis commendatio lectori tædio esse posset, frustranea quoque videretur adhibita opera, cum Benevoli Lectoris iudicio omnia tribuenda sint, quid sentire de suscepto velit labore; libertas enim sentiendi quemadmodum adimi nemini, ita nec cuiquam invideri potest: DEUS vero O. M. cui omnem nostrum commendavimus laborem, hæc

A 2

quoque;

4
quoque quæ à nobis suscipiuntur, commendata habeat, & ita dirigat, ne propriæ personæ commendatio, sed Nominis sui gloria intendatur.

CAPUT I.

De

Commendatione in genere.

Commendatio quandoq; necessaria est: nec denegari facile amicis potest propter Legem Naturæ & Christianam charitatem. Prudentia tamen adhibenda. §. 1.

Commendationis vocabulum (1.) accipitur pro laudatione; quod variis textibus juris, aliisve locis probatur: inde literæ commendatitiæ, quæ regulariter generalem laudationem continent, & aliquando idem sunt, quod literæ dimissoriæ vel absolutoriæ. §. 2.

(2.) Commendare idem est quod committere, atq; refertur vel ad hominem, vel ad rem; hinc commendatio sacerdotii, Commendæ etiam inde dictæ. §. 3.

(3.) Coincidit cum verbo deponere, quod exemplis & legibus variis probatur. Corpus commendare quid sit, & an deponi temporis gratia corpus possit? §. 4.

Secunda & tertia acceptio hujus loci non est, sed prima, in qua tamē ipsa commendatio latius patet & variis fieri potest modis. §. 5.

Dividitur commendatio (1.) in eam qua res, & eam qua persona commendatur, utraq; officii vel rem, aut personam propriam, vel alicnam; illa licita quandoq; est, maxime si se fundet in testimonio aliorum. §. 6.

(2.) in generalem & specialem; Exempla commendationis generalis: inter mercatores illa etiam est obligatoria. Specialis qua sit? §. 7.

Ad officia, in Republica subeunda, frequens solet esse commendatio: officia vero cum diversa sint, ipse quoque commendationes variant. §. 8.

De Commendatione ad officia publica in presenti agetur Dissertatione: adeoq; excluduntur (1.) Commendationes rerum, (2.) Commendationes alia personarum, (3.) Commendationes ad tutelæ officium; ubi incidenter de questione an tutela munus publicum sit. §. 9.

§. I.

Supervacuum esse commendationem, nec in bona causa commendatitiis opus esse literis, multi sunt, qui existimant: quoties enim ipsius rei vel causæ qualitas, hoc, quod precibus alterius exorandum erat, impetrare valet, prolixiori illa non indiget commendatione: quare cum quidam ab Agefilao literas commendatitias ad amicos expetiisset, quo apud illos jus suum consequeretur, hoc responsi tulit: Nihil opus literis commendatitiis, nam mei hospites & amici sua sponte, quæ justa sunt, faciunt, etiam si illis non scripsero. Conf. *Plutarch. in Lacon. Apoph.* Verum quamvis de causa judiciali, sive de lite, quam quis in judicio suscepturus est, hoc facile concesserim, singulis namque causæ circumstantiis rite expositis. & probatis, cuilibet, quisquis ille sit, peregrinus an notus, dives an pauper, justitia absque commendatione administranda; Quamvis & hic, si, quid quotidie fiat, non quid fieri debeat, respiciamus, multum valeant commendationes, per quas favorem nobis conciliamus, qui plus valet in judice, quam lex in codice, ut communiter dici solet: certum etiam sit, actiones quotidie à litigantibus judici commendari vel verbis tantum, vel re ipsa, & quidem vel actu primo, promissionibus, vel actu secundo, realiter aliquid offerendo: At vero ubi de qualitate personæ nobis ignotæ, cui tamen vel fides habenda, vel alia quædam conferenda est gratia, quæstio oritur, necessaria simpliciter est commendatio, conditio enim personæ ut nobis nota sit, necesse est, si benevolentia quoddam genus ei exhibendum, quo sciri possit, num dignis etiam illa conferatur, vel damnum aliquod conferenti metuendum sit. Et hisce casibus denegare amicis facile non possumus commendatitias. *Cum enim cognationem*

quandam inter omnes homines natura constituerit l. 3. ff. de J. & J. parum fuerit, alios non lesisse aut contempnissse, sed talia quoque in alios conferenda, aut invicem communicanda, ex quibus mutua inter homines benevolentia alatur: sunt verba Pufend. de Off. Hom. & Civ. cap. 8. §. 1. Præcipit ergo vera amicitia, ut non modo amico bene velimus, sed etiam, quantum in nobis est, commoda ejus promoveamus, eumque re & consilio juvemus, quo ipsius necessitatibus subveniatur, aut eidem insignis quæpiam utilitas concilietur, quam benevolentiam *sublimiorem humanitatis gradum* dicit idem Pufend. d. l. §. 5. Fieri vero hoc efficaci quadam commendatione potest, utpote quæ & commutato, & ei, ad quem commendatitiæ diriguntur, prodest. Lex quoque Naturæ & maxime Christiana charitas nobis injungit, ut proximo beneficiamus. Quemadmodum vero in aliis rebus maxima opus est prudentia, ita & hic caute procedendum, & probe attendendum, ne aliis hac ratione inserviendo, damnum quis ipse incurrat; fieri autem hoc facile potest, si quis indistincte omnibus ad omnes commendationibus suis gratificetur; Commendantem enim quandoque obligari, præsentis Dissertatione evictum dabimus, quod ut justo fiat ordine, generaliora specialioribus præmittimus.

§. II.

Verbum commendare in diversis sumitur significatibus. (I.) enim idem denotat, quod *probare, laudare*, sive laudes alicujus rei aut personæ recensere: regulariter namque cum commendatione laudatio personæ vel rei cujusdam conjuncta esse solet: ut adeo coincidat commendatio cum laude & laudatione, quoties rei vel personæ bonitas, qualitas & artificium commendatur. Sic Advocatus personam ejus in quam crimen dicitur esse commissum, in iudicio

7

dicio commendat sive laudat, augetur namque petulantia crimen dignitate personæ *l. 6. §. 1. ff. de re milit.* Nam personæ lætæ qualitas in delictis attendenda, ut poena, vel exasperetur vel quodammodo mitigetur *l. 16. §. 1. ibi: persona & §. 3. ver. b. aliter puniuntur, qui quid in Dominum parentemve ausus est ff. de pœn.* Durand. in *spec. Jur. l. 1. part. 4. §. 7. n. 10.* Vid. *l. 19. pr. ff. de adilit. edict. l. 12 §. 12. ff. mandat.* ubi commendare idem est, quod laudare. Item *l. 43. pr. ff. de Contr. emt. & l. 37. ff. de dol. mal.* Goeddæus in *Comment. ad l. 186. de V. S. n. 2.* ubi breviter exponit, quando commendare sit deponere, quando laudare, quando mandare. Hinc Plinius *l. 1. Epist. 21.* scribit: *Credo decentes esse seruos, qui sunt emti mihi ex consilio tuo: superest, ut frugi sint, quod de VENALIBUS melius AURIBUS quam OCULIS iudicatur:* Auribus namque laudes rerum venalium hauriuntur. Add. Tulden. *ad tit. C. mandat. n. 2.* Schultz de *Jure Commendationis c. 1. §. 2.* Inde etiam literæ commendatitiæ dictæ, quibus *persona* vel *rei* qualitas generaliter laudatur, ut *illi* benevolentia, quæ ad res agendas necessaria est, *huic* vero emtor concilietur: dixi vero generaliter, communiter enim generalis in literis commendatitiis contineri solet personæ vel rei commendatio, quæ proinde quia generalis est, nullam producit regulariter obligationem; quemadmodum infra adhuc audiemus; quo ipso tamen specialis personæ vel rei per literas commendatio non excluditur, de qua ex inspectione literarum iudicandum. Mentio fit literarum commendatitiarum in *l. pen. pr. ff. de A. R. D.* ubi quæstio est, quo tempore epistolæ dominium acquiratur ei, ad quem scribitur; & dicitur, quod non antequam illius fiat, quam si ipsi reddita fuerit, quod si vero alter rescribendi causa tabellario mittentis responsorias dederit, hæc statim simul atque tabellario traditæ, fiant mittentis: addit autem

8
autem Ictus: idem accidit in his literis, quas tua duntaxat rei gratia misero, veluti si petieris à me, ut te alicui commendarem, & eas COMMENDATIIVAS tibi misero LITERAS. Exemplum epistolæ commendatiivæ habet Cicero L. 1. Epist. ad Famil. 3. in qua Aulum Trebonium de meliore nota apud Lentulum commendat, hæc verba in fine adjiciens: *ut intelligat meam commendationem non vulgarem fuisse.* Hæc literæ commendatiivæ quandoque idem sunt quod *literæ dimissoria*, quales accipere solent Clerici, aut aliæ personæ in officio publico constitutæ, bona mente dimissæ, quibus de vita, doctrina & moribus illorum testimonium perhibetur, & sine quibus nemo debet ad novum officium adspirare, vel promoveri: dicuntur alias literæ *absolutorie*, Perez. in C. tit. de Suscept. n. 19.

§. III.

(2.) Commendare quandoque coincidit cum verbo *committere*, & germanice exprimi solet per *Befehlen oder anbefehlen*/ hinc dicitur: hoc ego tuæ commendo ac committo curæ atque fidei, *dieses will ich deiner Treue und Sorgfalt aufs beste und treulichste anbefohlen haben*: Hoc autem sensu verbum commendare itidem refertur vel *ad hominem*, quando aliquis alterius curæ se committit, vel ab aliis eidem committitur: exemplum est in l. 12. §. 12. ff. *mand. Rogo te commendatum habeas Sextilium Crescentem amicum meum*: sic qui de vita sua desperant, liberos suos cæterosve cognatos aliis commendare solent. Vasalli etiam commendare se dicebantur, cum se in fidem & clientelam Domini dicabant, *Vel ad rem*, quando alicui negotium ali-quod sive res certa committitur & demandatur: Sic commendare alicui Sacerdotium idem est, quod committere ei administrationem, generalem alicujus Ecclesiæ, quo ipso com-

9

mandatarius liberam consequitur procurationem. Matth. Stephan. *discurs. Acad. P. 2. disc. 5.* Inde dictas puto *Commendas*, quarum duo à quibusdam dicuntur esse genera, unum Ecclesiæ, alterum militiæ sacræ; *Commenda Ecclesiæ* nihil aliud est, quam custodia Ecclesiæ alicujus ad tempus commissa, evidentis necessitatis & utilitatis gratia. *c. 15. de elect. & elect. potest. in 6to.* *Commenda militiæ sacræ* vero est, cum militi sacro & emerito propter pericula & exantlatos labores in militia beneficium aliquod Magister ordinis confert. Conf. Speidel. *Specul. Jurid. Observ. voc. Commenda* **Commenthurey/ Commenthur**: quare alii dicunt, commendarum alias esse in custodiam, alias in titulum.

§. IV.

(3.) Aliam adhuc significationem verbi commendare reperies in *l. 186. ff. de V. S.* in qua commendare nihil aliud esse dicitur, quam *deponere*, sive custodiæ causa rem aliquam commendare. Hoc sensu verbo *commendare* utitur Augustin. dicens: *Veni ad partes ejus, ubi commendarvi* (id est, deposui) *affectiones proximi mei.* Exempla alia nobis suppeditant *l. 24. & 26. pr. ff. de pos.* in quibus nummorum & arcæ clusæ sive clausæ commendationis mentio fit, quæ commendatio locum facit actioni depositi, modo priori in casu id actum fuerit, ut corpora nummorum eadem redderentur. Alias enim, si conventum ut tantundem solveretur, egreditur ea res depositi notissimos terminos; rationem vero quare priori in casu actio depositi competat, his verbis expressit Jctus: *quid est enim aliud commendare, quam deponere*: Sic in *l. 9. C. de pos.* res commendatæ pro depositis accipiuntur, prout inspectio docet: nec prætereunda *l. 14. §. 4. ff. de relig. & sumt. fun.* in qua *corpus commendare* accipitur pro temporis causa *deponere*, donec justæ sepulturæ corpus

B

tra

tradatur: Solent enim quandoque corpora defunctorum temporis gratia sive ad tempus eo animo deponi, ut inde alio transferantur, ubi æterna quasi seu perpetua sede remaneant: *l. 40. ff. cod. quod Edictis Divi Severi & D. Marci continetur*, ne corpora perpetuæ sepulturæ tradita transferri per territoria oppidorum prohibeantur; quamvis hoc permissu eorum, quibus permittendi jus est, fieri debeat: *l. 3. §. 4. ff. de sepulchr. violat. Add. l. 10. C. de religiof. & sumt. funer.* Et sane melius est corpora temporis gratia deponi, quam ut per aliquot dies, publice exponantur: nam & sumtibus hac ratione parcitur, & multis inconvenientiis obviam itur; modo illud quoque justis de causis fiat, non ut major exerceatur pompa: Adduci merentur verba Constitutionis Juliani Imperatoris ex *l. 5. Cod. Theodos. de sepulch. viol.* *Efferri*, inquit, *cognovimus cadavera mortuorum, per consertiam populi frequentiam, & per maximam insistentium densitatem, quod quidem oculos hominum infaustis incestat aspectibus* (verba, quæ sequuntur ethnicismum sapiunt) *qui enim dies bene auspiciatus à funere, aut quomodo ad Deos & templa venietur? Ideoque quoniam & dolor in exequiis secretum amat, & diem functis nihil interest, utrum per noctes, an per dies efferantur, liberari convenit populi totius aspectus, ut dolor esse in funeribus, non pompa exequiarum, nec ostentatio videatur.*

§. V.

Varias autem illas verbi *commendare* & *commendationis* significationes propterea attulimus, & brevibus explicuimus, ut constare melius posset, de quam significatione nobis impræsentiurum sermo sit. Non vero hic solliciti sumus de secunda vel tertia acceptione, alias enim nulla fere opus esset probatione, commendantem obligari, (obligationis vocabulo in stricto sensu sumpto *pr. J. de Obligat. junct.*

junct. l. 3. pr. ff. de O. & A. Vid. Diff. nostra inaug. de Obligatione Filiif. c. 1. §. 5.) Si enim commendare sumitur pro committere, committens pro mandante habetur, & sic actione mandati contraria, si ex negotio commissio alter damnum senserit, tenetur: quod si idem denotat quod *deponere*, actionem depositi contrariam contra commendantem dari, certum est. Sed in primo significato hic nobis commendatio venit, circa illam quaestionem enim occupabimur, an alium laudans, quod his & illis sit praeditus qualitatibus, obligetur. Cum vero & haec commendatio latius pateat, diversis etiam fieri possit modis, non poterit rite formari status controversiae, nisi quaedam praemittantur de divisione Commendationis.

§. VI.

Variis modis commendationem dividi posse, ex iis, quae jam dicta sunt, colligere licet: Nos ratione objecti illam dividimus in commendationem *rei*, & commendationem *personae*. *Illae* est, qua rei, *haec*, qua personae cujusdam qualitas & bonitas laudatur. Utraque afficit vel rem aut personam propriam, vel alienam; prior an licita sit, qua scilicet propriam commendamus personam, quaeri solet: Affirmativae obstat tritum illud: *Laus propria sordet*; Interim hanc defendi posse putamus. Aliud enim est querere, an quid permillum sit, aliud, an decorum: Permissa omnino aliquando est commendatio sui. l. 4. §. 3. ff. de Offic. Procons. ubi dicitur, quod ProConsul antequam fines provinciae sibi decretae ingrediatur, edictum de adventu suo debeat mittere, continens commendationem aliquam sui. Barbos. & Tabor, *Loc. Commun. Lib. 3. c. 40. de Commendat. ax. 2.* Contra decorum vero hoc casu tunc saltem peccatur, cum Commendatio sui stolidam pro fundamento habet philau-

tiam aut arrogantiam, quæ philautia immedicabilis & imperscrutabilis voluntatis morbus est, ex quo ceu ex fonte ceteri omnes proveniunt. Buddeus *Philosoph. Pract. P. I. cap. 3. §. 29.* quive amoris circulos à DEO præscriptos turbat, & mater est omnium vitiorum moralium & peccatorum, eorum etiam, quæ hominum maxime improborum confessione talia sunt. Budd. *d. l. §. 39.* Deinde *nuda* laudatio quamvis improbanda sit, *non nuda* tamen sive quæ se fundat in testimonio aliorum, probari debet: Neque obstat *Caus. 14. qu. 2. in pr.* quod audiendus non sit, qui pro se ipso testimonium ferre vult. Resp. concedendo illud: hoc tamen negamus, quod qualitatem personæ propriæ allegans, in quam alter ulterius inquirere potest, *proprie haberi possit pro teste in propria causa*: deinde quod de testimonio dictum est, hocratione effectus intelligendum: quoad facultatem naturalem quilibet in propria causa testari potest, at effectum non habet hoc testimonium, cum tali testi non credatur: licet ergo etiam concederemus, quod se ipsum commendans similis sit testi in propria causa, hoc tamen exinde solum sequeretur, quod huic fides habenda non sit simpliciter, nisi id, quod de se asserit, alia ratione probare queat: Sed *proprie* se ipsum commendans *pro tali habendus, qui aliquid de se promittit*, quod quivis licite facere potest. Rem propriam quin commendare aliquis possit, nos dubitare non finit ratio, quod quilibet præsumatur qualitates rei propriæ quam optime scire, maxime si per tempus aliquod illam jam possederit.

§. VII.

Ratione modi Commendatio dividi potest in generalem atque specialem. Solent enim & personæ & res duobus commendari modis vel generaliter vel specialiter; *illa inter-*

terminis generalioribus subsistit, & communiter à DD. obligatoria esse negatur; Exemplum hujus commendationis habetur in *l. 12. §. 12. ff. mand.* de hac etiam intelligenda *l. fin. C. quod cum eo qui in al. pot.* in qua verba hæc habentur: *Neque familiares epistolas, quibus homines plerumque commendant absentem, in id trahere convenit, ut pecuniam, quam rogatus non fuerat, impendisse pro pradiis mentiatur:* germanice hac formula loquendi vel scribendi uti solemus: Titium recommendire ihme bester massen / und weil er ein Fremder / so bitte selbigem alle Freundschaft und Liebe zu erweisen / auch ihme mit gutem Raht und That zu assistiren. Ill. Dn. Stryk. *de Caut. Contr. Sect. 2. c. 11. §. 19.* Inter mercatores tamen hanc quoque commendationem obligare, ex Jure Lubecensi atque DD. probat Brunnem. *ad d. l. 12. n. 6. ff. mand.* Ita etiam in Facultate responsum esse, tradit. Aliud exemplum commendationis generalis adduci potest de Ministris Principum, qui se suosque gratiæ ac benevolentia Principum commendare solent: *Daß der Herr in regard ihrer treuen Dienste den Ihrigen alle Huld und Gnade wolse wiederfahren lassen.* *Specialem commendationem* esse dicunt, qua quis ad contrahendum vel agendum aliquid inducitur, alias non acturus; aut qua fides commendato impetratur, quam alias habiturus non esset: exemplum hujus commendationis latet in verbis *l. f. C. quod cum eo. nisi specialiter ut pecuniam præstet &c.*

§. VIII.

Patet vero ex dictis, quoties persona quædam commendatur, quod intentio commendantis sit, ut gratia quædam & favor quandoque singularis commendato exhibeatur: qui favor interdum in literis, qua in re consistere debeat, exprimitur. Frequens vero esse solet commenda-

tio personarum ad officia in Republica subeunda, & fit vel *in genere*, certo officio non laudato, vel *in specie*, si officium aliquod vacet. Et cum officia variis modis dividi possint: in publica & privata; publica iterum in ea, quæ in administratione Reipubl. consistunt; *l. 14. §. 1. ff. de muner. & honor. l. 2. §. 1 ff. de his qua ut indign.* vel quæ propter publicam utilitatem sunt introducta, de quibus *Jctus in l. 239. §. 3. ff. de V. S. ait: Munus publicum est officium privati hominis, ex quo commodum ad singulos universosque cives, remque eorum Imperio Magistratus extraordinarium pervenit.* Conf. *Jus Prut. L. 2. r. 6. a. 4. §. 1. ibi: so gemeine Nempter haben/ von gemeines Nutzen wegen.* Sintque vel Ecclesiastica, vel secularia, quorum illa negotia spiritualia & sacra, hæc civilia & secularia pro objecto habent; Commendationes etiam pro hac officiorum diversitate erunt variæ; ita ut aliæ fiant ad officium publicum, aliæ ad privatum, aliæ iterum ad ecclesiasticum, aliæ adulare, sive civile pro alio impetrandum.

§. IX.

Quibus ita præsuppositis, indicandum jam est, non de omni commendatione nos hic acturos, sed de illa tantum, qua quis vel propriam vel maxime alienam personam ad officium publicum, sive illud Ecclesiasticum sit, siveulare, commendat, & hac ipsa commendatione illum, cui facta, inducit ad officium vacans conferendum; ubi non multum interest, utrum commendatio personæ alterius illa ignorante vel invita etiam, an vero sciente fiat, sæpius enim commendationi contradicunt commendati, vel quia officio ac dignitati se impares cognoscunt, vel quia parum emolumentum aut commodum ex illo sperant. Excluditur ergo (1.) commendatio rei, de qua evolvi possunt *titt. depositi, it. de*

de act. emt. vend. (2.) commendatio personarum eo fine facta, ut alia quaedam benevolentiae ac humanitatis officia illis exhibeantur, vel affectioni illius, ad quem dirigitur, insinuentur: de qua specie DD *in tit. mandati vel contra* agere solent. (3.) Commendatio illa, qua ad suscipiendum munus tutelae persona quaedam laudatur, & idonea esse dicitur: qua de re *in tit. de Fidejuss. & Nominat. tut. & curat.* in specie in *l. 4. §. fin. h. t.* agitur, & consuli possunt DD. qui ad hunc titulum commentati sunt. Equidem & tutelae munus publicum est, per expressum textum in *pr. J. de Excus. Tut. vel Curat.* ubi verba Imperatoris haec sunt: *nam & tutelam & curam placuit publicum munus esse*: verum non *ratione finis*, nisi secundo & per consequentiam factum, cum publice quodammodo intersit pupillo bene educari, & eorum, ut & minorum bona recte administrari; *l. 2. §. 2. ibi: cum ad curam publicam pertineat. ff. qui pet. tut.* sed *ratione causa efficientis*, quia publica juris & Magistratus auctoritate imponitur, hinc alii distinguunt inter munus publicum & munus Reipublicae, de quo ultimo hoc loco agemus, quale tutela esse negatur in *l. 6. §. 15. ff. de excusat.* Bachovii verba hic adducere placet, *ad pr. J. de excusat. tut. n. 3.* *Ipsium verbum PLACUIT arguit, tutelam & curam non esse proprie civilia & publica munera: Ceteroquin ipsa rei & muneris qualitas facit, ut munus sit civile & publicum, nec à dispositione hominum pendet, & definitio munerum civilium publicorum in l. 14. de muner. & honor. non convenit tutela: Add. Hopp. Comment. ad d. pr. J.* Quæstio itaque & controversiæ status principalis sequens formabitur: *Utrum ex commendatione ad officium publicum, certum, non in genere, sed in specie facta, qua quis certas qualitates commendato inesse asserit, obligatio oritur? Quæ quæstio cum hac coincidit; an actio quaedam com-*

com-

competat contra commendantem ob commendationem Principi, aut alii, qui officia publica concedit, factam? obligationis namque vocabulum hic cum effectu capimus, ita ut obligatione posita poni etiam debeat actio. Treutl. *Vol. 1. Disp. 23. th. 1. lit. e.* Quemadmodum posita matre, qualis est obligatio respectu actionis, poni debet filia; non obstante *l. 4. pr. & l. 9. §. fin. ff. de tutel. & rat. distr.* ex quibus apparet, quod licet tutor statim obligetur, non tamen mox contra eum actio detur.

CAPUT II.

De

Obligatione ejus, qui ad officium publicum alios commendat.

Occasio questionis, an Commendans alium ad officium obligetur. Rationes pro negativa adducuntur, quarum prima quod actus ultra intentionem agentis operari non debeat; intentio commendantis que sit?

§. 1. 2.

Commendatio etiam nihil aliud est quam consilium, ex quo nulla regulariter oritur obligatio; quamvis salutare non fuerit; Differt namque à mandato. §. 3. Suscipitur commendatio vel ex mandato, vel ex libera voluntate; illo casu cum commendans parere necesse habeat, ex-

tra omnem culpam est, nec opponi ei potest, quod immisceat se rei ad se non pertinenti: hoc casu officium humanitatis ei damnosum esse non debet. §. 4.

Ultima ratio desumitur ex textibus juris, qui distinguunt an commendandi causa vel ex jactantia aliquid dictum sit, an autem aliquis praestaturum se promiserit: quod exemplo illustratur si ex jactantia quis dixerit, se Imperatorem heredem instituturum: ubi obiter questio tractatur, an in imperfecto testamento Imperator heres institutus, hereditatem petere possit?

Pro-

Propensores esse debemus ad liberandum quam ad obligandum. §. 5.

Rationes pro affirmativa majoris sunt ponderis. Prima est, quod nihil tam congruum sit fidei humane, quam promissa servare; id quod ex recte rationis dictamine fluit. An pacta per se & sua natura producant obligationem? Commendans, qui idoneum promisit, ad præstandum hoc tenetur. §. 6.

Quories occultæ qualitates laudantur, toties ex laudatione oritur obligatio; quod ex Legibus probatur, quæ distinguunt, an quod commendandi causa dicitur, palam appareat, an non. Qualitates quæ commendato inesse dicuntur, regulariter palam non apparent. §. 7.

Ex consilio in damnum alterius dato nascitur obligatio; inidoneum autem commendans, Principi damnosum consilium dare videtur. §. 8.

Ad officium alium commendans similis est Nominatori, qui in subsidium tenetur, quod exemplo eorum probatur, qui exactores fiscalium debitorum nominant vel susceptores: Quo ordine hi conveniantur? §. 9.

Commendans habetur pro fidejussore ejus, quem commendat. An fidejussio præcedere possit obligationem principalem. Textus adducuntur, qui probant commendationem inducere fidejussionem. Princeps eodem ad minimum favore dignus est, quo pupillus. §. 10.

§. I.

Quæstioni in fine Cap. præced. propositæ, an commendans aliquem ad officium Reipubl. certum, valide obligetur, occasionem dedit, quod sæpius Principes damnum senserint, ad commendationes aliorum ignotis communiter officia conferendo, cum ipsi officiales resarcire illud non potuerint: Inquirere itaq; volumus, annon Princeps regressum quandam habeat adversus commendantem, & quidem non de facto, sed per viam juris. Negantium castra, quia fortiora esse videntur, (quam vis numero magis, quam pondere) rationes, quæ illis patrocinari

C

pos-

possunt, primo recensemus, easdemque adminiculis quibusdam juvabimus.

§. II.

I. Omnis actus & omne negotium susceptum ex intentione agentis dijudicandum, ultra intentionem enim agentium actus operari nec possunt nec debent: id quod colligitur ex *l. 19. pr. ff. de reb. cred.* quæstio ibi est, an ex numeratione pecuniæ accipiens obligetur? & respondet Iustus Julianus, non obligari accipientem, nisi expresse hoc actum sit, h. e. alter intentionem habuerit hunc obligandi, instantia, enim hac utitur. Nam & is, qui mortis causa pecuniam donat, numerat pecuniam, sed non aliter obligavit accipientem, quam si extitisset casus, in quem obligatio collata fuisset; quare etiam legibus cautum, ut in contractibus voluntates magis contrahentium, quam verborum conceptio inspicatur. *l. fin. C. quæ res pign. poss. add. l. 38. ff. de O. & A.* ex qua apparet, quod non figura literarum, sed mente & sensu suo quis obligetur. Carpzov. *P. 2. C. 17. d. 8. n. 3.* Quod si jam ad intentionem commendantis in genere respiciamus, non hæc erit, ut obligetur, sed ut vel benevolentiam commendato vel majorem fidem conciliet, quia non hunc in finem literæ commendatiæ dari alicui solent, ut obligatio inde nascatur, sed ut persona commendetur, & favori cujusdam insinuetur: *l. 11. §. 12. ff. mandat. l. f. C. quod cum eo.* Harprecht. *ad §. 7. 7. de Fidejuss. n. 5.* Carpz. *P. 2. c. 20. def. 10. n. 4.* Hinc Gothofred. *in nat. ad d. l. f. C. lit. f.* dicit: *Commendatiæ literæ in dubio non præsumuntur emisse animo obligandi, sed commendandi tantum.* Facit huc *l. 11. §. 2. ff. de Legat. 3.* ubi verba Ulpiani hæc sunt: *si ita quis scripserit, illum tibi commendo. Divus Pius rescripsit, fideicommissum non deberi: aliud est enim personam commendare, aliud voluntatem suam fidei committentis*
here-

heredibus insinuare: ex quibus hoc argumentum fuit: Quia aliud etiam est personam commendare, aliud vero se obligare; non potest obligatio ex commendatione colligi. Sic in specie commendantis aliquem ad officium non hæc est intentio, ut Principi commendando se obliget, sed ut à Principe impetret, quo huic commendato honor & dignitas vacans conferatur. Deficiente itaque intentione se obligandi, deficit quoque ipse consensus, nulla vero est obligatio sine consensu ejus, qui obligari debet: Quemadmodum enim ex obligatione actio, ita ex consensu fuit obligatio.

§. III.

(2.) *COMMENDATIO* respectu illius, ad quem dirigitur quasi consilium aliquod est, quia alteri suggerit, quid in re dubia faciendum sit: dubius enim est Princeps in casu præfenti, cuinam ex præfentatis officium vel dignitatem conferat, adeoque consilio aliorum utitur, quo accepto dignioris rationem habere potest. At vero ex consilio nulla oritur obligatio: ei enim, cui consilium est datum, libertas relicta, apud se explorandi, utrum expediat sequi consilium, nec ne: *l. consilii. 47. ff. de R. J. c. 62. de R. J. in 610.* non secus ac in mandatarii est arbitrio, suscipere mandatum nec ne. *Conf. Jus Prut. L. 4. l. 11. a. 1. §. 4. verb.* Es stehet aber auch anfänglich in eines jeglichen Macht und Gefallen/ ob er solch mandat oder Befehlich annehmen wolle oder nicht. *Add. 2. 2. §. 2. d. l.* Et licet ex postfacto non expediat ei cui datum, tamen obligatio nulla est, ob rationem modo dictam, quod cuique liberum sit apud se explorare, an expediat sibi consilium: *l. 2. in fin. l. 6. §. 5. ff. mandat. §. 6. J. eod.* quod cum alter vel non fecerit, vel obiter tantum, habet, quod sibi imputet. Consulenti vero nihil imputari potest,

nec debet ei consilium sincere & candide datum, qualia esse præsumuntur omnia, quæ Principi dari solent, ullo modo esse damnosum. Bronchorst. *ad l. 47. de R. J.* Quod ampliatur, etiamsi consilium per se salutare & conveniens non fuerit: alter enim damnum sua culpa sentit, quod sentire non videtur. *l. 203. ff. de R. J.* cur enim statim sua sponte consilium secutus est. In eo namque differt consilium à mandato: *hoc species* quædam est imperii, & propter utilitatem hominum receptum, ut quod cuique ab altero commissum, id illius periculo expediatur: nam regula quædam, & norma est alteri præscripta, quæ stricte observanda, nec facile mandati fines quis excedere debet. *Illud* vero ab imperio prorsus alienum est, nec normam constituit, quam sequi tenemur; consulens enim consultoris arbitrio rem relinquit, nec sollicitus est, utrum illa fiat, necne: hinc consilii ab aliis hæc dicitur esse natura, ut quamvis excitet ad deliberandum, non tamen obliget ad sequendum: Menoch. *de Præsumt. L. 6. præ. 34. n. 23. sequ.* cum ipsa consilia non necessitatis, sed voluntatis sint: *Consil. Marburg. Vol. 1. Conf. 26. n. 150.* Et Struvius *in Jurisprudencia forensi tit. de mand. aphor. 7.* ait: *Qui mandat, ille petit, rogat ET URGET, ut suscipiatur, quod mandatum est. Qui vero consilium dat, arbitrio ejus, cui dat, rem permitit, neque, utrum fiat nec ne, curat, aut ejus interest: quare nec ex eo obligatur, etiamsi non bene cesserit.* Ex interesse autem intentato præcipue differt consilium a mandato. Farinac. *qv. 129. num. 10.*

§. IV.

(3) Hæc quoque ratio pro negativa sententia adferri potest, quod commendatio fieri soleat vel ex mandato Principis sive Superioris, vel ex libera voluntate; priori casu, cum sequi habeat necesse commendans mandatum Principis,
extra

extra omnem culpam erit; ejus enim nulla culpa est, cui parere necesse est: *l. 169. pr. ff. de R. J.* nec dolo malo facere viderur. *l. 167. in fin. eod.* Cum itaque imputari ei nihil possit, nec doli, vel solum culpæ reus sit, non poterit dici, quod ex dicta commendatione obligetur. *arg. l. 47. eod.* Fecit enim, quod facere jussus erat. Unde *l. 36. ff. de R. J.* ei applicari nequit: quod culpa sit, immiscere se rei, ad se non pertinenti: quæ lex alias in negotiis non privatis tantum, sed & publicis locum habet: *arg. l. 17. pr. l. 41. C. de Episcop. & Cler. l. 23. verb. Absurdum est namque, si promiscuis actibus rerum turberentur officia, & præcipue Clericis, quibus opprobrium est, si peritos se velint disceptationum esse forensium. C. de testament.* et in genere procedit, quoties quis ex levitate quadam vel ex libidine sine justa causa se immiscet rei alienæ, cujus exemplum egregium nobis sistit *l. 46. ff. de minorib.* in eo, qui absque mandato ex libera voluntate minorem viginti quinque annis defendit, & condemnatus est; ubi Jctus Paulus dicit, quod ex causa judicati ipse conveniendus sit, nec ejus, quem defendit, ætas ad restitutionem impetrandam ipsi prodesse debeat, cum causam judicati recusare nullo modo possit. Commendans vero aliquem ad officium ex mandato Principis, facit id, quod officii ratio postulat, nec vitii *πολυπραγμοσύνης* incusari potest. *Posteriori in casu*, cum quis ex libera voluntate, vel etiam requisitus ab alio, alium ad officium commendat, commendatio oritur ex singulari quadam amicitia, & ex officio humanitatis, quod nemini damnosum esse debet. Officia enim, quæ alterius potius quam proprii commodi causa suscipiuntur, ne damnosa alicui sint, æquum est. *l. 61. §. 5. ff. de furt. add. l. 7. ff. testam. quemadm. aper.* ubi dicitur: *iniquum est, damnosum cuiquam esse officium suum:* cum enim commodum nullum ex hæc commendatione ha-

beat, durum esset, si incommodum sentire teneretur. *arg. l. 10. ff. de R. J.* & legitimæ æqualitatis observantia, quæ ad conservationem rerum humanarum pertinet, cessaret. Verba celeberrimi Petri Mülleri de consilio quidem prolata, hanc tamen & præcedentem rationem illustrantia, adduci merentur. *Cum itaque, inquit, consilium spernere liceat, & ille, qui consilium dedit, non hoc voluerit, ut illud præcise fiat, nec ejus periculum in se susceperit (uti in mandato fieri solet) æquum erit, si alter sua sponte consilium bono animo & ex AMICABILIBUS AFFECTIONIBUS datum, sequatur, dantem ex hoc CHARITATIS ET AMICITIÆ OFFICIO ad eventum consilii præstandum non obligari. Sibi enim imputet, quia consilium secutus est, & non diligentius exploravit, an illud sibi expediat, an non. In Not. ad Struvii S. J. C. exerc. 22. th. 8. lit. λ.*

§ V.

Et hanc negativam (4.) textus juris comprobare videntur, qui si ad casum præsentem applicentur, exinde apparebit, neminem ob qualitates in alio assertas responsioni obnoxium esse, vel exinde obligari: Verba *l. 19. pr. ff. de edil. edict.* admodum clara sunt: *Sciendum tamen est, ait Ulpianus, quadam, & si dixerit, præstare eum non debere: scilicet ea, quæ ad nudam laudem servi pertinent: veluti si dixerit, frugum, probum, dicto audientem.* Ratio sequitur: *Ut enim Pedius scribit, multum interest, commendandi servi causa quid dixerit, an vero præstaturum se promiserit, quod dixit.* Multum namque interest, utrum ex jactantia quadam quid dicatur, an vero eo animo, ut dictum quoque præstetur; illud obligationem non inducit, hoc vero omnino: hinc in *d. l. 19. §. 3.* dicitur: *ea autem sola dicta sive promissa admittenda sunt, quæcumque sic dicuntur, ut præstentur, non ut JACIENTUR:* quod exemplo quodam aliæ leges illustrant. Ex *l. 16. pr. C. de testam.*

testam. certum est, Imperatorem quoque heredem institui posse: (quo casu quod obiter notandum, jure privatorum utitur. Ita enim Imperatores rescripserunt in *l. 7. C. qui testam. fac. poss.* *Cum heredes instituuntur Imperator seu Augusta: jus commune cum ceteris habeant.* Quare si in imperfecto testamento Imperator fuerit hæres institutus, hæreditatem vindicare non potest. Quamvis enim lex imperii solennibus juris Imperatorem solverit, ipse quoque omnes solennitatum defectus valeat supplere: proprium tamen imperii esse dicunt Principes, legibus vivere *l. 3. C. de testam. S. fin. J. quibus mod. testam. infirm.* cujus egregia ratio in *l. 4. C. de LL.* quia de auctoritate juris, Principum pendet auctoritas, & revera majus imperio est, submittere legibus Principatum, & quod sibi licere non patiuntur, aliis indicare.) Sed (ut in viam iterum redeamus) quæritur; si ex jactantia quadam aliquis dixerit, se Imperatorem hæredem institutum, an effectum aliquem hæc verba habeant? & respondet Jctus Paulus negando: cujus verba in *l. fin. ff. qui testam. fac. poss.* hæc sunt: *Ejus bona, qui se Imperatorem facturum heredem esse jactaverat, à fisco occupari non possunt.* Cum itaque, qui alios commendant, regulariter eorum virtutes jactare saltem soleant, apparet, quod illa, quæ jactabundi ita asseruerunt præstare non teneantur, adeoque obligati nulla ratione dici possint. Et sane, si ex commendatione obligaretur commendans, locum illud habere deberet in emtione & venditione, carius enim res venduntur, quibus certæ qualitates inesse dicuntur, adeoque lucrum aliquod ex commendatione sentit venditor: sed cum contrarium in Legibus cautum sit, per *d. l. 10. pr. ff. de adilit. edict.* multo minus commendans aliquem ad officium obligabitur; cum lucrum nullum speret, maxime si ex officio, seu vi officii sui, subje-

ctum

Etum quoddam nominare vel laudare debeat. Accedit denique, quod cum propensiores esse debeamus ad liberandum, quam ad obligandum *l. Arrianus. 47. ff. de O. & A.* qua de causa partes rei favorabiliores esse dicuntur, quam ipsius actoris, *l. 125. ff. de R. J.* & satius est, impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnare *arg. l. 5. pr. ff. de pæn.* præsentī quoque in casu liberandus potius erit ab obligatione commendans, quam ut obligatus esse dicatur.

§. VI.

Hiscē argumentis & ratiociniis negativam sententiam corroborari posse, firmiter sibi persuadent Patroni illius: Pro affirmativa tamen rationes quæ militant, majoris ponderis esse videntur: quas breviter etiam recensebimus. Ima ratio hæc est: quod nihil tam congruum atque conveniens sit fidei humanæ, quam ea, quæ inter partes vel placuerunt, vel etiam ab una saltem parte promissa fuerunt, sancte servare atque præstare: Vid. *l. 1. pr. ff. de pact.* Omnes namque in genere conventiones hoc pro fundamento habent, fidem datam esse servandam; quod si ex societate humana tolleretur, ipsa societas, licet in statu naturali viverent homines, nulla subsistere posset ratione. Et illud fundamentum ex ipso fluit rectæ rationis dictamine. Recta quippe nobis suggerit ratio, si alteri fidem non servaverimus, aut promissis non satisfecerimus, illum quoque æquali jure contra nos usurum, quo ipso omne commercium humanum esset interituum; hinc etiam si quosdam statuere sciam, pacta per se & ex sua natura nullam producere obligationem, nec pacificentes, si extra civitatem constituti concipiuntur, ex nudo consensu sibi invicem obligari; hoc tamen ita intelligendum esse volunt, quod necesse sit, ad rectæ rationis dictamen

Stamen recurrere, quod externam tranquillitatem ac communem utilitatem non esse turbendam, dicitur; fieret vero hoc, si pacta impune non servarentur: quo ipso destruere allaborant sententiam illorum, qui pro primo principio habent: *pacta esse servanda*. Jam ut ad casum præsentem dicta applicemus, commendans aliquem ad officium Principi vel etiam alii, promisit commendatum iis qualitatibus ac virtutibus esse præditum, quarum vel in literis commendatitiis, vel in commendatione ore facta fecit mentionem; obligatus itaque omnino erit ad ea quæ promisit, servanda: aut si ex postfacto appareat, promissis stari non posse, eo quod commendatus talis non deprehendatur, qualis laudatus, alia orietur obligatio, nempe ad refundendum damnum, quod Officialis Reipubl. intulit, nec ipse restituere valet: Neque enim res est cum privato & infimæ sortis homuncione, cui quandoque illudunt de facto majores & digniores, sed cum ipso Principe.

§. VII.

(2.) Quotiescunque manifesto & palam non apparent, quæ laudantur & asseruntur, sed in occultis, nec in quovis Subiecto occurrentibus qualitatibus consistunt, toties ex laudatione vel assertionem oritur obligatio; id quod patet ex *l. 43. pr. ff. de contrab. emt.* hæc lex expresse distinguit: aut quæ commendandi causa dicuntur, palam apparent, v. gr. servum esse speciosum; domum bene ædificatam; aut non, sed uti dictum in occultis qualitatibus consistunt: *priori casu* dicit lex, nulla oritur obligatio, licet servus deformis, domus male ædificata sit: imputet enim emtor sibi, & propriæ adscribat culpæ, quod oculos non aperuerit; nec ulterius risui se exponat: *posteriori* vero casu obligatio nascitur ad præstandum id, quod commendandi causa dictum; v. g. si dixerit

D

rit

rit hominem literatum, artificem &c. qui postea talis non deprehenditur. Ad quam legem hoc notat Gothofr. *lit. c. Palam videri vel in momento potest, servus si speciosus sit, vel domus bene edificata: literatus vel artifex servus sit, an non, non ita videri potest; ita fiet, ut commendatio per suavioria venditorem non obliget priore casu: posteriore vero obliget.* Et ipse Ictus in *all. l. 43. § 1.* illustrat quodammodo ea, quæ asseruerat in *princ.* his verbis: *Quaedam etiam pollicitationes venditorem non obligant, si ita in promptu res est, ut eam emtor non ignoraverit, veluti si quis hominem luminibus effosis emat, & de sanitate stipuletur. Nam de cetera parte corporis potius stipulatus videtur, quam de eo, in quo se ipse decipiebat: ut ita de se, non de alio queri debeat emtor, cum non per venditorem, sed sua sit deceptus negligentia, nec dissolutam ignorantem emtoris excusari oportet: arg. l. 55. ff. de adil. edict. Brunn. add. l. 43. & Mey. P. 4. d. 49. Donell. Lib. 13. c. 5. lit. C. Quod in d. l. 43. Florentinus, idem asserit Ulpianus Jctus in l. 17. §. fin. ff. de adilit. edict. Eodem enim fere utitur exemplo, regula tamen hac præmissa: Si quis adfirmaverit aliquid adesse servo, nec adsit, vel abesse, & adsit, ut puta, si dixerit, furem non esse, & fur sit: si dixerit, artificem esse, & non sit: hi enim, quia, quod adseverarunt, non præstant, adversus dictum promissumve facere videntur. Aliarum qualitatium mentionem facit in l. 19. §. 1. eod. si quis dixerit, aleatorem non esse, ad statuam nunquam confugisse, oportet eum id præstare. Similis est ratio ejus, qui ad officium alium commendat. Cum enim ob eruditionem & prudentiam commendatum laudet, quæ omnia palam non apparent, patet, quod occultas qualitates prædicando, adstrictus sit hoc ipsum præstare; aut si has qualitates *ab initio* non adfuisse, eventus doceat, ad interesse teneatur ratione damni dati: maxime cum*

cum alias quoque æquum omnino sit, ut is damnum resar-
ciat, cujus aliqua, quam cujus nulla est culpa, præsertim si
culpam præstare debeat.

VIII.

(3.) Ex consilio quod quis dedit in perniciem & da-
mnum alterius, nasci obligationem, ex l. 20. C. de furt. certum
est: Titius seruo alieno consilium dederat, ut rem quandam
Domino suo surriperet, & ad se deferret; quæstio oriebatur,
an ex hac persuasione vel consilio Titius esset obligatus,
videbatur dicendum tunc saltim Titium teneri, si & furtum
revera secutum, & servus hoc alias facturus non fuisset, cum
sic Titius pro mandante quasi haberi, qui regulariter ad ean-
dem poenam cum mandatario tenetur, servus quoque vere
corruptus dici potuisset. Verum nec furtum factum, nec
servus corruptus; manifestaverat enim hoc servus Domino
suo, & eo consentiente ac concedente res ejus ad Titium ini-
quum svasionis autorem pertulerat: interim tamen Impe-
ratori veterum altercationes decidenti placuit, non tan-
tum furti, sed & servi corrupti actionem contra Titium dari:
idque ex hac ratione, quod *CONSILIUM corruptoris ad perni-
ciem probitatis servi introductum est*: Et licet aliam adhuc in
fin. d. l. 20. adducat, ne ex hujusmodi impunitate & in alium
servum, qui facile possit corrumpi, hoc facere pertentet; ad
probendam tamen affirmativam sententiam illa sufficit, quod
consilium ad perniciem alterius datum sit obligatorium: &
quidni obligatorium esset hoc consilium? cum fraudulentum
esse videatur, quod producit obligationem, per l. 47. ff. de
R. J. Esse autem consilium ejus, qui indignum Principi com-
mendat, tale, quod in illius tendit damnum & perniciem du-
bitari nequit, cum omnino & Princeps & Respublica lædan-
tur,



tur, cum inhabiles officio præficiuntur. Quare consilium illud hunc omnino habebit effectum, ut consultor obligetur.

§. IX.

(4.) Qui alium ad officium commendat, non absimilis esse videtur Nominatori, imo idem, & nihil aliud est, quam Nominator. Hic vero in subsidium tenetur, si damnum ab officiali datum reparari nequeat, propter *l. 2. C. de Susceptor.* in qua notanter dicitur, quod juxta *inveteratas Leges* nominatores *Susceptorum* obnoxii teneantur; quapropter ut cauti sint in nominando, & animadvertant, quicumque nominaverint, ad discrimen suum universa, quæ illi gesserint, redundare, monet *l. 8. C. eod.* (Per susceptores vero, quod obiter noto, intelliguntur, qui annonis & tributis recipiendis præerant; qui si publicam functionem à debitoribus oblatam non recepissent, debitores liberabantur: *l. 1. C. de Suscept.* quod secus in privato debitore, in quibus non sufficit sola oblatio, sed depositio præterea requiritur: *l. 10. C. de usur.*) addi potest *l. 3. C. de conven. Fisci debitor.* quæ ordinem certum præscribit, quo conveniri debeant nominatores Exactorum fiscalium debitorum, prius enim ex bonis Exactorum, qui principali loco ad exactionem fuerant destinati, indemnitati fiscali satisfieri debet, post exactores vero, si solidum debitum exsolutum non sit, nominatores sunt conveniendi; quorum facultatibus excussis, si fiscus universi debiti quantitatem & indemnitatis securitatem consecutus non fuerit, perveniri etiam potest ad Collegas. Brunne-
man, *ad b. l. qui n. 5. ex l. 11. in fin. ff. ad municipal.* allegat rationem quare nominatores teneantur, & quidem ante Collegas exactorum; videlicet, quia Collegæ negligentia saltem ac poenæ causa, nominatores vero fidei ratione conveniuntur. *l. 13. ff. eod.* cujus verba circa finem hæc sunt: *Nec*
juste,

*juste, qui NOMINAVIT, universi periculum recusavit, cum scire deberet, eum, qui nominaretur, individuam officium & commune periculum suscepturum; nam & cum duo gesserunt, & ab altero servari, quod debetur, non potest, qui Collegam NOMINAVIT, in universo convenitur. Neque obstat l. 4. C. de Magistrat. conveniend. in qua dicitur, nominatores non nisi excusis Collegis conveniri posse; agitur enim in h. l. de contutoribus, qui simul tutelam gesserunt, & ad quorum periculum consortium administrationis spectabat; hi cum respectu nominatorum sint quasi debitores principales, hinc omnino ante hos conveniri debent. Accedit, quod major quædam in contutoribus fuerit culpa, quod suspectum tutorem non postulaverint, hæc enim si abesset & debitam diligentiam adhibuissent, post nominatores demum conveniri possent. Conf. Brunn. ad l. 1. & l. 4. C. de Magistrat. conven. Quamvis hoc loco scire ne quidem interfit, an nominator primo, an ultimo conveniatur, cum sufficiat, probari hic in genere posse, nominatorem, qualis is quoque est, qui alium ad officium commendat, obligari. vid. l. 5. C. eod. l. 13. ibi: *per actis omnibus periculum agnoscat, qui non idoneum nominavit. ff. ad municip. Confer. l. 4. C. de Filiisfam. & quemadm. prohis pater teneatur. l. 5. ibi: ut constricti nominationibus suis, sociorum actibus quandam speculam gerant. C. de Fabricens. l. 2. C. de peric. nominat. l. fin. in fin. verb. priores enim nominatores veluti fidejussores placuit obstringi. C. quo quisque ord. conven. Lib. 11.**

§. X.

Pro confirmanda sententia affirmativa (5.) & hæc facit ratio, quod commendans alium ad officium pro fidejussore ejus quem commendat, habendus sit: Engelbrecht ad tit. ff. mand. §. 3. Quemadmodum enim fidejussor alius re-

D 3

gula-

gulariter expressis verbis, ita hic tacite, pro eo, qui principaliter obligatur, nempe commendato, ad majorem securitatem Principis officium conferentis ita se obstringere videtur, ut nihilominus commendatus impetrato officio obligatus maneat; & quamvis absurdum aliquo modo videatur, fidejussionem precedere obligationem principalem, hoc tamen facile hoc modo excusatur, quod tamen ipse effectus obligandi in hoc negotio sequatur obligationem principalem, cum ante non sit obligatus commendans, quam si commendato collatum fuerit officium. Quod vero commendans aliquem ad officium haberi possit & debeat pro eo, qui fidejussit pro commendato, varii textus juris comprobant: in *l. 4. §. fin. ff. de fidej. & nominat. & hered. tut.* hæc habentur verba: *Eadem causa videtur adfirmatorum, qui scilicet cum idoneos esse tutores adfirmaverint FIDEJUSSORUM vicem sustinent.* Nec est, ut quis dicere velit, in *d. l. de tutela agi*, adeoque in favorem pupilli illud statutum ac receptum esse; eodem enim favore, si non majori, Princeps, quo pupillus, dignus est judicandus: & dantur alii textus, qui ne quidem pupilli mentionem injiciunt, sed de eo, qui Magistratum nominavit, idem disponunt, inter quos præcipuus in *l. 11. §. 1. ibi: quasi fidejussorem, it. placuit fidejussoris exemplo. ff. ad municipal.* imo in *l. 2. pr. ff. eod.* pater quasi fidejussor pro filio obstrictus dicitur, si hic voluntate saltem ejus Magistratus creatus fuerit; nec pater tantum, sed & ejus heredes hoc casu Reipubl. tenentur, non quidem principaliter, sed ut sæpius dictum, in subsidium, prout rescripserunt Imperatores in *l. 1. C. de Decurion.* Tenentur quidem, inquit, etiam heredes ejus Reipubl. nam in hac parte vice fidejussoris pater accipitur, sed non ante, nisi tuis propriis rebus excussis. Add. Nov.

CAPUT III.

In

Quo resolvuntur argumenta sententiaæ negativæ.

Rationes negativa satis speciose videntur, juri tamen conformior est affirmativa, eam etiam commendat interesse publicum. §. 1.

Respondetur ad rationem Imam: concedendo non esse primariam intentionem commendantis, ut se obliget, ipsum tamen factum obligationem inducit. Ad primariam intentionem, quantum ad obligationem, non semper respiciendum: Probatur exemplis. §. 2.

Commendatio continet consilium speciale, instructorium & certo casu dolum, sive notus fuerit commendatus sive ignotus. Mendax est qui minus idoneum laudat, penam ergo meretur. §. 3.

Consilium quod commendationi inesse videtur, vim quandam compulsivam habet, quod sequi Princeps necesse habuit: An ei qui consilium iniquum dedit ad delinquendum, imputari plene

possit delictum? Affirm. & causa quodam in puncto incendiæ illustratur. Cautela quædam in fine additur. §. 4.

Clausula adjici solita commendationibus nihil operatur, nec vim protestationis habet, quod secus in commendationibus rerum in foro externo. Quatenus consilium in mandatum degeneret? §. 5.

Qui jussu Principis aliquem commendat, sed minus idoneum, ei aliquid imputari potest. Qui gratis & ex amicitia alium commendat, ab eo indemnis servari debet; raro tamen suscipitur gratis commendatio, quod an excusari possit, in fine additur. §. 6.

Resolvuntur textus pro negativa adducti, atq; ostenditur, quod partim de generali commendatione sint intelligendi; partim ad

*ad presentem casum applicari
non possint. §. 7.
Argumentum ab emtione venditio-
ne desumptum, sententia negati-*

*ve non patrocinator. Sensus ge-
nuinus l. 47. ff. de O. & A. quis
sit? §. 8.*

§. I.

HÆ sunt præcipuæ rationes, quæ tam pro negativa, quam pro affirmativa in medium afferri possunt, aut si plures inveniuntur, ex illis tamen sunt deductæ. Et quamvis istæ, quæ negativam corroborant, satis speciosæ videantur, si tamen, quod verum est, fatendum, verior ac juri conformior affirmativa est sententia, ob argumenta jam adducta, maxime cum favor, utilitas & interesse, salus etiam Reipubl. eandem commendent: quid enim commodum civitatis magis promovet, quam si impediatur, ne inidonei & inhabiles officii publicis admoveantur: quod fieri alia ratione vel obtineri pro hoc rerum statu vix posset, nisi commendans ex facto suo, commendatione scilicet obligaretur, & sic alii discerent, ne facile suscipiant inidonei commendationem ad munus aliquod publicum, utpote quæ res & ipsi & Reipublicæ damnum ac detrimentum adferre valet.

§. II.

Neque difficile erit contrariis obviam ire ratiociniis, iisdemque satisfacere. Ad Imum quod attinet, fatemur principalem ac primariam intentionem commendantis hanc fuisse, ut benevolentiam ac gratiam majorem commendato conciliaret apud Principem, majorve fides commendato haberetur, quod dignus sit, cui vacans beneficium confertur; interim tamen scire & potuit & debuit, propriam simul interponi fidem, utpote quam Princeps respexit, concedendo officium, cujus intuitu commendatio facta, commendato; neque enim majorem fidem commendato habuisset
colla-

collator , nisi persona commendantis intervenisset , maxi-
 xime cum commendatio non generalis quaedam suppona-
 tur , sed in specie ad officium certum hoc tempore vacans .
 Imo quid juvat dicere , non adfuisse intentionem se obligan-
 di , cum ex ipso facto eadem desumi & colligi debeat : appli-
 cari namque quodammodo hic potest , quod alias de pro-
 testatione dicitur , quod facto contraria nihil operetur . Qui
 delinqvunt , nunquam hanc habent intentionem , ut legi se
 obligent pœnali , eo ipso tamen , dum delinqvunt , se obliga-
 re ad pœnam Lege statutam dicuntur . In specie *alium*
 commendans mercatori , forte hanc non habuit intentio-
 nem ut se obligaret , interim unanimi fere consensu statu-
 unt DD. ex hac commendatione oriri obligationem . Vid. *l.*
fin. ibi : *nisi specialiter ut pecuniam præstet . C. quod cum eo .*
Brunn. ad l. si vero . 12 ff. mand. n. 6. Carpz. P. 2. Const. 18. def.
ult. n. 8. aliique , quos allegat Brunneman . Quare vero
 Principes deterioris esse debeant conditionis , quam perso-
 næ privatæ in casu si non eodem , simili tamen quoad effe-
 ctum , nullam video rationem . Certum itaque est ,
 quamvis expressa non adsit obligatio , quo casu res plane
 expedita esset , tacite tamen ex facto commendationis ea-
 dem fluit ; ut ita amplius non obstat supra *all. l. 11. §. 2. ff.*
de Legat. 3. Cum ex generali commendatione hoc quidem
 fluat , quod commendans voluerit gratiam fieri commen-
 dato , nulla vero ratione colligi possit , quod præcise in hoc
 consistere debeat , ut fideicommissum commendato præ-
 stetur , quod gratiæ quidem species est respectu fideicom-
 mittentis , onus vero respectu heredis .

§. III.

II. Commendationem continere consilium quoddam ,
 nec nos diffitemur : verum est consilium aliquod speciale
 E instru-



instruitorium, imo certo casu doloſum: id quod hæc ratio-
 ne evidum dabimus. Aut aliquis novit commendandum,
 aut vero ipſi fuit ignotus: *priori casu* doloſe agit commen-
 dans, quod tale quid de eo aſſerat, quod revera non adest,
 ficque alium decipiat; mendax enim eſt, mendacium autem
 doli præſumptionem operatur, *l. 43. §. 3. ff. de furi.* & mendax re-
 gulariter in dolo eſſe præſumitur, ita ut ſi alia contra eum
 deficiat actio, de dolo detur. *l. 8. l. 9. §. 1. l. 37. ff. de dol. mal.*
 Brunnem. *ad l. 12. ff. mand. n. 5.* ibi: *nifi commendatio fiat do-*
loſe. Carpz. *P. 2. C. 18. def. ult. n. 4.* licentia namque menti-
 endi non debet eſſe impunita. *l. ult.* ibi: *nec impunitam fore*
noverit licentiam mentiendi. *C. de Accuſat.* ſed nimia mentien-
 tis improbitas ſevere punienda: *arg. §. 10. J. de ſuſp. tut. vel*
Curat. l. 5. C. ſi contr. jus vel utilit. publ. Poſteriori in caſu
 commendans culpa non caret, immiſcet enim ſe rei ad ſe
 non pertinenti, & quam non intelligit: hinc Brunnem. in
l. 1. ff. de LL. n. 3. dicit: *culpabilis eſt commendatio perſonæ igno-*
re: add. *Idem ad l. 13. C. de Suſcept. n. 2.* Culpa vero hæc
 cum lata eſſe videatur, dolo æquiparatur *l. 32. ff. de poſit.*
 Huber. *in Prælect. Jur. ad tit. J. de ſuſpect. tut. n. 6.* ubi dicit:
Magna ſeu lata culpa in civilibus cauſis, ſeu contractus ſint,
ſeu SPECIES CONTRACTIBUS AFFINES, pro dolo habetur.
 Poſterioreſ casum illuſtrat *l. 13. §. 3. ff. de act. emt. vendit.*
 Caſus ibi eſt, quo quis aſſeveraverat ſervum fidum & bonæ
 frugi, quem ignorabat eſſe furem, & dicitur, quod obliga-
 tio inde oriatur, non obſtante quod ignoraverit: reſpondet
 enim lex; ſed non debuit facile, quæ ignorabat aſſeverare,
 qui enim ſcit, præmonere debuit, furem eſſe; qui vero
 ignoravit, non debuit facilis eſſe ad temerariam indicatio-
 nem. Sufficit vero hoc caſu, quod qualitates perſonæ fu-
 erint ignotæ, quamvis ipſa perſona quoad exteriora fuerit
 nota

35

nota & cognita, & notari hic meretur, quod *arg. c. 20. X. de elect. & elect. potest.* injusta & culpabilis dici possit ignorantia qualitatum personæ in eo, qui aliquem ad officium ecclesiasticum eligit. Neque obstat, quod cum facta aliena licite ignorare queamus, ignorantia quoque qualitatum personæ alienæ excusare debeat: respondeo: verum hoc est, quamdiu quis nec potuit nec debuit investigare facta aliena vel qualitates cujusdam personæ: *l. 9. §. 2. ff. de jur. & fact. ignor. Barbof. Loc. Comm. L. 9. c. 6. ax. 12. vers. sic etiam licet.* cum all. *ibid.* ad officium autem alium commendans debuisset in illius mores, prudentiam, aliasve conditiones ac facultates inquirere.

§. IV.

Deinde & hoc notandum, quod commendatio personæ specialis ad officium certum, tale contineat consilium, quod vim aliquam habet compulsivam. Vid. *Wesemb. Paratit. in tit. mand. n. 7. in fin.* *Brunn. paratit. Wesemb. d. t. qu. 16.* atq; in certam personam directum est, quod ratione effectus in mandatum degenerat; ratio est in *§. 6. J. de mand.* quia non aliter alter fecisset, quam si illi mandatum esset, cum fidem consulentis secutus videatur: Equidem limitant hoc ipsum DD. modo animo mandandi hoc factum, secus si animo consulendi tantum, quo casu licet consilium in certam personam fuerit directum, tamen non est obligatorium: v. g. si aliquis his usus sit verbis: *Ich hielte es vor gut und rahtsam / daß er sein Geld dem Titio liebe; allein er mages machen / wie er will;* vel etiam: *Wenn es mich angieng / wolte ich ihm wol trauen.* *Müller, ad Struv. Exercit. 22. th. 8. lit. λ. in fin.* Jam commendationes ad officium licet certum, ita sunt comparatæ, atque his terminis fieri solent: *Es wird jedennoch Ew. Königl. Majestät (oder*
E 2 *Chur.*

Churfürstl. Durchl.) lediglich anheim gestellet / ob Sie in Erwegung vorgerühinter meriten ihme Supplicanten die Stelle allernädigst zu conferiren geruchen wolten zc. Verum responderi potest *in genere*, dictam limitationem DD. non esse simpliciter admittendam: sive enim mandandi sive consulendi animo illud factum fuerit, dummodo commendatio sive consilium in certam directum sit personam, & NB. *is, cui datum, hoc alias non esset facturum*, valida erit obligatio. l. 6. §. s. verb. *aut si non esses facturum, nisi ego mandassem, etsi mea non interfuit, tamen erit mandati actio.* ff. *mand.* Conf. Barbof. *Loc. Comm. L. 3. c. 77. de Consilio. ax. s. in fin.* Brunn. *ad d. l. n. 10. 11.* quod DD. extendunt ad delicta & pœnam ultimi supplicii, ita ut dicant, tunc consulenti plene imputari delictum, si consilio alterum tale quid nunquam intendentem, commoverit ad delinqvendum, sive, si alter delictum alias non fuisset commissurus. Confer. Dn. Stryk. in *Diff. de Imputatione facti alieni. C. s. n. 56. 57.* ibique *all.* Anton. Matthæi & Farinacius, quæ Dissertatio habetur in *Vol. ultimo sive VI. n. 1.* Add. *Diff. 16.* ejusd. *Vol. de Mandato delinquendi. Sect 1. n. 53.* Ubi singularem casum in puncto incendiarii refert de Caupone quodam & Ancilla cujusdam Domini, qui contigit in vicinia civitatis Francofurtanæ: quem casum, si germanice hic retulerimus, gratiam merebimur ab illis, qui germanice in Disputationibus quærunt, aliisve, qui lingua sapius abutuntur. Ita vero eundem ipse ex Discursu Illustr. Viri accepi: **Es schläget ein gewisser Mann seine Magd / und schicket sie gleich darauff nach Bier; der Krüger des Ortes fraget nach der Ursach ihres Weinens / welche als sie ihm geklaget / antwortet er: Wann mir das wiederführe / oder ich in eurer Stelle wäre / ich wolte ihm das Haus überm Kopff**

Kopff anstecken. Worauff sie stille schweiget / und einige Stunden drauff das Haus in Brand setzet. Casu hoc cum omnibus circumstantiis ad Facultatem Juridicam Francofurtanam relato, hæc ita respondit: Daß obwol der Krüger zu seiner Entschuldigung angeführet / Er hätte nimmer gedacht / daß das Mädchen so einfältig seyn / und solches thun würde / weil aber das Mensch beständig ausgesaget / Sie hätte solches nimmer in ihren Sinn kommen lassen / wenn sie nicht durch den Raht des Krügers dahin wäre verleitet worden: so wäre so gestalteten Sachen nach der Krüger mit der Straffe des Schwerdts zu belegen / der Körper aber nachgehends zu verbrennen. Ancilla vero vivicomburium sensit, die Magd ist lebendig verbrannt worden. Quem casum quoties retulit Dn. Stryk. monebat Studiosos, ut sibi cavere discerent, ne facile dicerent: Wenn ich in deiner Stelle wäre / so wolte ich ihm den Degen durchs Leib jagen. Hæc incidenter.

§. V.

Clausulam adjici solitam quod attinet, hæc nihil juvat, magis enim in hac commendationis specie devotionis aut subjectionis causa erga superiorem adjicitur, quam ut protestationis gratia adposita dici possit, scil. ne commendans ex commendatione obligetur. Et si forte concedi deberet, quod clausula ubi cum privato res est, vim protestationis habeat, & effectum ab obligatione liberandi; aliud tamen adhuc dicendum esset, si cum Principe negotium sit; privatum namque ulterius inquirere & circumspicere agere potest, secumque deliberare, an sequi consilium sibi expediat, nec ne: vel an commendationi fides habenda sit: & imputari forte emtori possit, quod tam credulus fuerit,

cum optime scire debuerit, quod venditor laudet venales quas vult extrudere merces: quamvis hic quoque Brunne-
mannus putet in foro conscientiae tutum non esse, sed obli-
gari mercatorem, qui merces commendavit, quas emtor
credulus sua simplicitate deceptus, ut bonas accepit. *ad l.*
19. ff. de adilit. edict. n. 3. At Princeps propterea aliorum mi-
nisterio & opera utitur, quia ipse in mores & qualitates alio-
rum inquirere nequit, ac proinde quia eorum unice & tan-
tum fidem sequitur, imo sequi necesse habet, nec aliter con-
ferret beneficium, nisi propter commendationem, cum is,
qui ei commendatur, plane ignotus ipsi sit. Conf. *Mev. ad*
Jus Lub. l. 3. t. 10. a. un. n. 13. eos quoque habere debet ob-
ligatos, si idoneum laudaverint, qui talis non est, ad da-
mnum acceptum refundendum, vel ad poenam. Diximus
autem supra quod consilium hoc in casu *ratione effectus in-*
mandatum degeneret, ad elidendam exceptionem, quæ ad-
ferri posset, quod Principi mandari nequeat: quoad effe-
ctum enim solum conveniunt, ita ut quemadmodum man-
dans obligatur mandatario, quoad damnum, quod ei occa-
sione mandati contigit, cum pati illud non debeat. *l. 12. §.*
9. l. 20. pr. ff. mand. Pr. RN. l. 4. t. 11. a. 3. §. 2. ita quoque
commendans Principi obligetur modo antea dicto.

§. VI.

III. Qui prævio mandato atque jussu Principis aliquem
commendat, vel vi officii sui, ei quidem imputari nequit,
quod sese immiscuerit rei ad se non pertinenti; hoc tamen
ei imputandum, quod officio suo non satisfecerit, dum mi-
nus idoneum Principi commendavit, & licet hoc casu cul-
pæ saltem dici deberet, nihilominus tamen Principi te-
neretur, cum æquum omnino sit ab Officialibus culpam
præstari levissimam, ob exactissimam diligentiam, quæ in
illis

illis requiritur. Deinde & hoc notandum, Princeps actum ipsum imperavit, non modum. Licet ergo commendans non peccet actum suscipiendo, peccat tamen modum excedendo. Quodsi commendatio vi officii vel ex mandato facta non fuerit, profecta quidem videri potest ex amicitia & humanitatis officio, verum inde hoc solum sequitur, quod indemnes servari debeant ab illis, quos commendant, horum enim respectu commendatio signum amicitiae est; non vero quod Principi non obligentur, cujus intuitu species inimicitiae est, quia indignus vel minus idoneus commendatus. Fidejussio simile habet fundamentum, interim quis negaret, fidejussorem obligari. Mandatum quoque, cum gratis suscipiatur, ex charitatis & humanitatis officio mandatarius exequitur: *Pr. P.N. L. 4. t. II. a. 1. §. 1. verb. Mus Gutwilligkeit / die ein Freund dem andern bewei- set / daher er auch erstlich seinen Ursprung bekommen.* Interim qui mandatum semel suscepit, obligatur. Accedit, quod plerumque etiam concurrere soleat interesse commendantis, v. g. quod promissum ipsi vel aliquid sit solutum, & ita vel lucrum ipsum vel spes lucri adest. Raro namque suscipitur gratis commendatio, & obtinet hic quoque illud Poeta:

Ipse licet venias Musis comitatus Homere,

Si nihil attuleris, ibis Homere foras,

Quotiescunque vero commendantis interest, toties obligatur: *arg. l. 6. §. 5. ibi: nisi mea quoque interfuit. ff. mandat. add. l. 7. in fin. & l. 8. ff. de dol. mal.* ex quibus apparet, eum, qui dolose aliquem idoneum affirmat, & sui lucri causa, teneri actione doli. *Brunn, ad dd. LL. n. 19. 20. Mev. ad Jus Lubec. L. 3. t. 10. art. un. n. 18.* fraus enim inde colligitur, si quis lucri captandi causa aliquem commenderit. *arg. l. 8. ff.*

§. ff. de dol. mal. Cujus verba notabilia sunt: *Quodsi cum scires, eum facultatibus tui, tui lucri gratia adfirmasti mihi idoneum esse, merito adversus te, cum mei decipiendi gratia alium falso laudasti, de dolo iudicium dandum est.* Add. l. 20. pr. ff. eod. Consilium vero fraudulentum consultori suo damnosum esse non utile debet. Vid. l. 11. §. 1. ff. de dol. mal. & met. except. Carpz. P. 1. Const. 16. def. 60. n. 3. Hinc dicit Camillus Borellus *Contr.* 47. Commendans in non exiguo est periculo, si probetur, illum notitiam habuisse, quo in cardine res commendati versarentur, vel lucellum aliquod percepisset: add. Brunnem. ad l. si vero. 12. ff. mandat. n. 8. ubi ait: *Sane scilicet rem se habere sciat commendator, maxime, SI IN COMMODUM SUUM HOC FACIAT, actione doli tenetur.* Carpz. P. 2. dec. 126. n. 11. & P. 2. C. 20. def. 10. n. 7. Cujus verba sunt: *Plane si quis sui lucri causa alium false commendaverit, atque ita commendatione dolosa alterum ad contrahendum dolo malo induxerit, tenebitur utique.* Hoc tamen non ita intellectum volumus, quasi honorarii loco nihil accipi debeat, cum fieri hoc salva conscientia possit, modo idoneus commendetur: *Quaedam enim honeste accipiuntur, quamvis in honeste petantur.* l. 1. §. 5. in fin. ff. de extraord. cognit.

§. VII.

IV. Textus pro negativa allatos quod attinet, facilis ad illos est responsio. Inspectio l. 19. pr. ff. de edilit. edict. docet, quod sermo ibi sit de commendatione generali, & verba in §. 1. d. l. id ipsum declarant: communiter enim hoc in commendationibus exprimi solet literis, eum, quem commendamus esse bonum, probum; maxime vero in venditionibus hoc observatur, ut hisce verbis rem vendendam commendemus: ex generali autem commendatione, modo dolosa non sit, nullam oriri obligationem fatemur, propter

pter *l. 12. §. 12. ff. mand. l. f. C. quod cum eo. l. 37. ff. de dol. mal. Mey. ad Jus Lubec. L. 3. t. 10. a. un. n. 2. 3. Carpzov. P. 1. dec. 126. n. 6.* Quod etiam verum est de Jure Pruten. per verba §. 2. *L. 4. t. 11. a. 1.* Da auch einer dem andern Briefe schreibet / und darinnen bittet / jemand's von seinem wegen in freundlichem Befehl zu haben / oder sich lassen befohlen zu seyn; so entstehet aus solchem auch keine Obligation und Verbindung: und ist mehr einer Commendation und Forderung / dann einem mandat oder Befehlich zu vergleichen. *Commendatio vero certæ personæ ad officium certum, specialis est, adeoque obligationem inducit: quod ex ipsa all. l. 19. pr. & §. 1. adparet: Neque obstat hujus legis ratio: in effectu enim hoc dicere vult Ulpianus; multum interest, an in genere servum laudaverit venditor, an vero in specie aliquid de servo asseruerit, v. g. quod artifex sit, quod aleator non sit &c. Ut ita Jctus videri possit effectum pro causa posuisse; effectus enim specialis commendationis est, quod commendans habeatur pro fidejussore, seu tali, qui præstiturum se promisit, quod dixit. Et hanc explicationem svadent verba & antecedentia & sequentia d. l. 19. Quæ ulterius supra ex d. l. 19. §. 3. & l. fin. ff. qui testam. fac. poss. adducta fuerunt, illa in thesi quidem recte se habent, in hypothese vero fallunt, & applicari nequeunt. Ad officium quoties aliquis commendatur, regulariter cum Principe negotium est, & huic vel immediate, vel mediate fit commendatio. Serio itaque res tractanda, nec ex jactantia aliquid asserendum, quod scimus subiecto non inesse, vel scire debebamus. Reipublicæ enim interest, officia indignis non conferri. In specie ad l. fin. ff. qui test. fac. poss. quod attinet, ratio evidens dari potest, quare fiscus bona occupare nequeat: Cum enim Princeps ne quidem ex*

F imper-

imperfecto testamento velit esse heres, quomodo vindicare poterit hereditatem ejus, qui se Principem vel Imperatorem facturum heredem esse jactaverat; cum plane nullum adsit testamentum in favorem Principis factum.

§. VIII.

Sed nec argumentum ab emtione venditione desumptum contrariæ sententiæ patrociniatur. Fundamentum enim illius, nempe *l. 19. pr. ff. de adilit. edict.* paulo ante per responsum sublatum fuit, ut adeo in contrarium potius argumentari possit: Si in emtione venditione ex speciali commendatione oritur obligatio, multo magis hoc locum habebit in commendatione ad certum officium, ut ex hac quoque oriri debeat obligatio; ibi enim cum persona privata, hic cum Principe res est: illi aliquid imputari possêt, quod diligentius non inquiserit, quemadmodum illi etiam imputatur, qui rem furtivam à transeunte & ignoto, vel in foro se emisse, contendit; *l. Civile, s. C. de furt.* eique opponitur, quod curare debeat alia vice cautius negotiari: *l. incivilem 2. C. eod.* cum tamen sæpius res à transeunte vero domino ignoto, regulariter autem in foro emamus. Huic autem nihil quicquam imputari potest, si enim in cujusvis personam inquirere vellet, gravioribus negotiis ipse præjudicaret; quare hanc curam aliis committit, qui si debitam non adhibuerint in commendando vel eligendo diligentiam, habent, quod sibi imputent, & eapropter obligantur.

§. IX.

Denique non obstat *l. 47. ff. de O. & A.* Respondeo: genuinus sensus hujus legis est: quod cognitis & consideratis omnibus circumstantiis ac jure tam actoris quam rei, si æquale utrinque sit fundamentum, vel etiam si dubium sit, quis firmiter ac melius jus habeat, propensior iudex esse debeat

beat ad liberandum, cum favorabiliores esse debeant partes rei, quam ipsius actoris: *l. 125. ff. de R. J.* Et hoc colligitur ex verbis *d. l. 47.* ibi: *si habeamus occasionem: & expresse dicitur in l. 192. §. 1. eod. quod in re dubia benigniorem interpretationem sequi non minus justius quam tutius sit.* Hac itaque lege nemo abuti debet ad excusandam suam temeritatem in commendando vel ignoto vel inhabili. Add. Brunnem. in *Comment. ad d. l. 47. n. 2.*

CAPUT IV.

Systens

Conclusiones & Quæstiones quasdam materiæ Commendationis affines.

Affirmativa sententia tacite subscribunt omnes, qui ex speciali commendatione vel nominatione tutoris obligationem oriri concedunt.

§. 1.

Non interest sine commendatio facta à superiore an ab inferiori. perito an imperito; modo priori casu superiori, quod inferiori, imputari possit. Ab obligatione ergo liberantur (1.) Principes, (2.) Ministri & Consiliarii intimi, qui tamen certo casu obligantur. (3.) qui ab aliis auctoritate Principis jam probatos commendant.

§. 2.

Obligatio in effectu non oritur, nisi

Princeps vel Respublica damnum senserit. Fraus commendantis ex eventu colligi non debet, cum hunc prævidere non potuerit: sola bona fides vel intentio non sufficit ut commendans ab obligatione liberetur.

§. 3.

Commendatio est res periculi plena, adeoq; summa cum prudentia suscipienda, nec omnes promiscue commendandi, sed digniores præferendi.

§. 4.

Commendans ad duo respicere debet: ad officium, & ad personam illi præficiendam. Officia & munera Reipublicæ variis modis di-

vidun-

F 2

videntur. Ejus quam maxime notitiam habere debet, cui aliquis præficiendus. §. 5.

Examinare debet commendans mores commendandi; præsumtio vero non sufficit. Quid per bonos mores intelligatur. An in Doctõribus & Magistris requirantur: Examen quomodo institucendum? §. 6.

Morum ac vitæ omnino habenda est ratio, maxime in Clerico: additur ratio. §. 7.

Unde colligitur, commendationem ad officium Ecclesiasticum esse rem maximi momenti: additur ratio & ampliatio ex Jure Canonico. §. 8.

Requisita Ministri Ecclesiæ recensentur quorum Imum vera Catholica fides An qui fuit Apostata sit commendandus? affirm. sub certa limitatione. Tyro Theologie ad munus sacrum non admittendus, licet promittat diligentiam. §. 9.

Qui vult commendari ad officium sacrum Illo debet esse pius atq; probus: quo casu, præferendus est doctõ sempio: additur ratio. Quid pietatis nomine hic

veniat? Studere debet mansuetudini, temperantiæ, humilitati. §. 10.

Requisitum tertium est eruditio atq; doctrina, cujus fundamentum est pietas ac timor Domini. De Morum gravitate adducitur egregius locus ex Zieglero. §. 11.

Commendandus etiam omnia quæ dicta sunt, perpendere debet: principaliter namque obligatur, & removeri ab officio iterum potest. De justitia remotionis queritur: §. 12. & an differentia faciendâ inter personam secularem & Ecclesiasticam. Pro affirmativa & rationes & textus pugnant: ubi egregius ex Jure Canonico textus adducitur de tegendis Clericorum vitiis. §. 13. Negativa tamen defenditur, & simul improbatu certa ratione translocatio in minorem Ecclesiasticam. Rejiciuntur etiam media occulta ad resignationem cogentia. §. 14.

Subjungitur quaestio à quibus commodissime fieri possint commendationes: quem in sinem specialia collegia institui deberent. §. 15.

§. I.

Remotis itaque dubiis, quæ sententiæ nostræ ob stare videbantur, jam certo constare puto, eum, qui alium ad officium

officium commendat, obligari, quod tacite concedere tenentur omnes illi, qui vel ex commendatione speciali, vel ex sola & nuda affirmatione tutoris idonei, obligationem oriri, statuunt. Carpz. P. 2. C. 20. def. 10. n. 5. 6. Supra enim diximus, quod Princeps, si non majori, æquali tamen ad minimum favore atque pupillus dignus sit. Quemadmodum ergo pupillorum favore comparatum est, ut nominatores tutorum teneantur, quo habeant, quem pro tutoris minus idonei administratione convenire possint, Magistratus quoque subsidiaria in factum actione tam facile non teneantur; Carpz. d. l. ita Principum & Reipublicæ favor exigit, ut habeant commendantem obligatum, atque ab eo damni per malam officii administrationem dati restitutionem consequantur.

§. II.

Neque interest, quis alium commendaverit, superior aliquis an inferior, literatus seu peritus, an illiteratus: *ratione scil. effectus*, qui est ipsa obligatio: *ratione ponderis* enim omnino interest: majoris enim efficaciam est commendatio ab eo facta, qui in summo dignitatis gradu est constitutus, vel illius est scientiæ ac artis, ad quam alter aspirat, vel ex quotidiana conversatione commendandum novit. Excipiendus tamen quoad prius assertum (1.) Princeps, qui inferiori aliquem commendat. Nam sic ex commendatione nulla oritur obligatio; ob evidentem rationem, quia hic imputari omnino potest inferiori, quod melius ac diligentius in mores & profectus aut etiam facultates commendati non inquiserit: adeoque vitium electionis non est in commendante sed in eligente, qui de personæ & officii qualitate melius judicare debuisset: Non enim præsumendum, quod Princeps commendare sciens voluerit minus idoneum, si

ergo cum ignoraret defectus, hoc fecerit, qualis ignorantia Principis merito excusatur, debuisset inferior accuratius in conditionem illius inquirere, ac superiori notos reddere defectus, ob quos conferri non potest honos commendato; maxime cum commendatio Principis hanc semper habeat tacitam conditionem, si digni sunt commendati. Sequuntur namque exemplum Augusti Cæsaris, qui filios suos nunquam populo commendavit, nisi cum hac conditione: *SI MERE BUNTUR*; honor enim non auctoritati, sed meritis tribuendus. Sveton. *invita August. n. 56.* Plane si imperativa & restricta esset commendatio, Princeps de jure obligaretur. (2.) Excipiendi quoque sunt Ministri ac Consilarii Principum intimi: curæ enim majores & officii gravitas non permittunt, ut cum singulis speciale examen aut peculiarem inquisitionem instituire possint, adeoque hoc casu primus commendans, seu qui primo subiectum aliquod Ministro commendavit, tenetur: quod enim quis per alium facit, per se fecisse putandus: *l. 2. ff. de fidej. & nominat. & hered. tut.* nisi Ministri vel proprios liberos, vel etiam alios qui antea notis ipsis fuerunt, vel ad instantiam filiolorum, ad officium certum commendent: Sic enim si commendati minus idonei deprehendantur, ipsi Ministri tenentur, cum jam imputari aliquid iis possit, non quidem quod liberos vel cognatos alios prætulerint, pallio enim tunica propior est, secundum Plautum: *germ. Das Hembd liegt näher an als der Rock / sed quod indignos commendaverint: arg. l. 5. C. de Decurion.* Ex qua colligitur, si saltem cum consensu patris filius in potestate ejus positus, nominatus ad officium fuerit, pater ob administrationem ipsius conveniri possit. *arg. l. 3. ibi: invito patre, C. ne fil. pro patre. add. l. 7. ff. de administr. rer. ad civit. pertinent. arg. l. 17. §. 2. ff. ad municip.* quod ampliatur in *l. 2. pr.*

pr. ff. eod. licet pater expresse non consenserit, sed præsens nominationi solum non contradixerit. Consentire namque etiam is videtur, qui non testificatur dissentire nominationi: *l. 1. C. de filiisfam. & quemadm. pro his pat. ten.* Pater namque habetur hisce in casibus pro fidejussore quasi ipsius filii, adeoque si filius damnum Reipubl. inferat, in subsidium tenetur: *d. l. 17. §. 2.* ibi: *ante filium ex persona sua Respubl. debet convenire. l. 1.* ibi: *sed non ante, nisi tuis propriis rebus excusis. C. de Decurion.* add. *l. 7. ff. de tutel.* Solet tamen in praxi majoris securitatis gratia, & ex abundantia quandoque cautio à patre exigi. (3.) Etiam illos à vinculo obligationis absolvendos esse putamus, qui talem Principi vel superiori commendant, qui ab aliis jam probatus & examinatus, atque in numerum Candidatorum receptus est. Hoc casu enim obligantur illi, quibus examen commissum, si forte commendatus aut nominatus vel ratione morum, vel quoad doctrinam indignus ac minus idoneus deprehendatur, atque per hoc damnum vel Ecclesiæ vel Reipublicæ sit datum.

§. III.

Ut autem ex commendatione conveniri quis possit, hoc omnino necessarium est, ut damnum senserit Princeps vel Respublica, & quidem ex vitio & inhabilitate præcedenti ipsius commendati: hinc si quis commendaverit aliquem bonis moribus præditum, sufficientibus etiam facultatibus instructum, ille non obligatur, si commendatus deinde mores mutet, bona dilapidare incipiat, & hoc ipso Rempublicam damno afficiat. Fraus namque & calliditas commendantis nulla est, si dignus commendatus ab initio fuerit, qui officio præficeretur, non enim desumenda illa est ex eventu, sed ex voluntate. Vid. *l. 79. ff. de R. J. l. 15. ff. qua in fraud. cred. fact.* neque de eventu, quem prævidere non potuit,

potuit, respondere tenetur, cum nemo redargui possit, quod futurum non præviderit: & nemo culpabitur, quare non futurum sciverit. *Nov. 22. c. 1. circa fin. add. l. 1. ibi: tamen, si per id tempus solvendofuerunt. C. de pericul. nominat.* Ad officium enim publicum electus idoneus esse debet eo tempore, quo eligitur. *Bart. in l. imyberem. ff. ad l. Cornel. de fals.* Accedit, quod cum quilibet præsumatur consilium potius bonum & Reipubl. salutare quam fraudulentum dedisse, *Menoch. L. s. presumt. 2. n. 11.* Commendatio quoque ex fide potius quam dolo malo facta præsumi debeat: quæ præsumtio tam diu firma manet, donec probetur contrarium: *arg. l. 2. ff. de probat.* *Brunn, ad c. 62. de R. J. in 610.* Hæc tamen nequaquam ita accipienda sunt, quasi cessante dolo nulla sit obligatio in commendante, sed conjuncta esse debet bona fides cum rei veritate *ab initio*, adeoque licet fraudulenta non fuerit commendatio, sed forte ex amicitia erga commendatum profecta, quo hic solum officium aliquod vel munus publicum consequeretur, multi enim contra *l. 19. §. 1. ff. de offic. Præsid.* precibus calamitosorum illacrymantur, ut pro indignis quoque intercedant: nihilominus exinde obligatio oritur, ita enim amicis gratificandum, ne alius, maxime vero ne Respublica exinde damnum sentiat: & quamvis dici possit bonam habuisse intentionem respectu commendandi, hæc tamen Principi nocere non debet, cujus intuitu maligna potius quam pia dicenda, imo licet hanc intentionem juvet præsumtio, quæ forte est pro commendato, quod dignus sit, huic tamen acquiescere non debuisset, sed scire eum oportebat, quod præsumtio cedat veritati. Doli tamen actionem non puto contra illum dandam esse, maxime, si non turpis lucri causa, sed ex mera commiseratione commendationem in se susceperit.

§. IV.

§. IV.

Patet vero ex hætenus dictis & demonstratis, quod commendatio maxime ad officium aliquod vel munus Reipublicæ sit res periculi plena, cum damnum facile aliquis incurrere possit: propterea tamen inferendum non est; quis ergo commendationem suscipiet, quam scit sibi damnosam: hac enim ratione qui argumentantur, impingunt in regulas bonæ consequentiæ, Reipublicæ etiam pariter nocent non commendando. Cum enim admodum necessaria sint personarum commendationes, quo digni officiis præficiantur, res tamen periculi plena sit, hinc ita potius colligendum; ergo ad evitandum hoc periculum atq; obligationis incommodum, cautius & circumspectius agendum, ne promiscue sive extraneus sive cognatus, notus an ignotus quilibet commendetur, aut etiam illi, qui sunt ex familia, aut qui pinguius offerunt vel promittunt honorarium, sed qui digni sunt, omnibus aliis simpliciter præferantur. Et quamvis ex sententia communi originarii in officiis sint præferendi extraneis, vid. *Mynsing. Cent. 4. Observ. 30.* hoc tamen cum restrictione & limitatione intelligendum; modo sint habiles & idonei, nec alia causa obstat: ex *l. enim un. C. de potiorib. ad mun. nominand.* hoc apparet, quod digniores & magis idonei sint eligendi ad munera & officia Reipublicæ, non obstante, quod lege alicujus provinciæ vel civitatis, aut Rescripto Principis caveatur, ut præferrentur in honoribus certæ conditionis homines. Notanter namque *Jctus in l. 11. §. 1. ff. de mun. & honor.* addit: *attamen sciendum est, hoc esse observandum, si idonei sint:* quæ conditio tacite semper inest. Fallunt itaque & falluntur, qui putant, si in hac vel

G

illa

illa Academia fuerint per tempus aliquod, quod præ aliis promotionem sint habituri; locus enim nihil confert, nisi quis in loco utilem Reipubl. se reddiderit. Si ergo idoneus magis & dignior ad commendandum electus non fuerit, eligens, vel hoc casu commendans obligatur, non quidem digniori præterito, sed Reipubl. vel Ecclesiæ, cui damnum hoc ipso, quod dignior neglectus sit, intulit. Brunn. *ad d. l. de potior. ad mun. nom. n. 3.* Perez *ad h. tit. n. 5.*

§ V.

Ut vero feliciter suscipere dignioris commendationem possit commendans, ad duo potissimum respicere debet: (1.) ad officium quod vacat: (2.) ad personam illi præficiendam. Personarum namque electus habendus est, an dignæ sint, quibus officium conferatur, earumque mores examinandi, ne commendans sibi noceat, dum aliis prodesse studet. Accuratam ergo ac proinde specialem non generalem tantum habere debet notitiam muneris & officii vacantis; quam cum habere nequeant infantes, patet ab his commendationes fieri non posse hoc effectu, ut ipsi obligentur; cum defectus iudicii in illis deprehendatur maximus, nec intelligant, quid commendando faciant: Illi quoque excluduntur, qui dolo vi ac metu compulsi sunt ad commendandum: cum enim dolus vis ac metus, qui scil. in constantem virum vel foeminam cadit, consensum excludant, regressus contra illum instituendus erit, qui dolo alium ad commendandum induxit, vel vim aut metum intulit, cui malitia sua non debet esse lucrosa, alteri vero damnosa, per *l. 1. pr. ff. de dol. mal.* Sunt vero munera Reipublicæ alia sacra, alia

51
lia Politica & secularia. Hæc dividuntur in Civilia & militaria, utraque variis iterum dividi possunt modis: vel enim consistunt in administratione Reipublicæ, quam Imperator promittit illis, qui eruditos se in studio Juris ostenderint, *in fin. proæm. Inst.* (ex quibus verbis DD. colligunt. Jctos omnibus aliis, nisi forte mores aut etiam LL. aliud introduxerint, in promotione ad officia publica, maxime in judiciis, jure meritoque esse præferendos. Dn. Hopp. *in Comment. ad d. l.*) vel in gubernatione fortalitiæ, præfecturæ, in administranda justitia, erogatione pecuniæ &c. Notitiam itaque ejus quam maxime habeat officii, cui ex præsentis aliquis præficiendus, necesse est, judicetque utrum in hoc rite administrando ingenium an judicium, an deniq; memoria prævalere debeat: ad alia enim officia ingeniosi, ad alia judiciosi &c. magis sunt idonei. Quibus pensatis & cribratis, videat, an in persona commendanda qualitates illæ reperiantur, & an instructus sit illa scientia ac prudentia, vel illis facultatibus, quarum causa laudandus & nominandus: quamvis enim imperitia regulariter nemini noceat, ut imputari ipsi aliquid propter imperitiam possit, nihilominus tamen si ob peritiam ac prudentiam laudatam officio quis admoveatur, & defectus deinde adpareat, culpæ hic adscribendus & commendanti imputandus. Vid. §. 7. *J. de L. Aquil. l. 8. §. 1. ff. eod.* Brunn. *in Comment. ad h. l. n. 2.* ubi hanc dat rationem, quod affectare quisque non debeat, in quo intelligit vel intelligere debet infirmitatem suam aliis periculosam futuram. Add. *l. 132. ff. de R. J.*

§. VI.

In genere autem Commendans inquirere atque
G 2 exami-

examinare debet in omni commendando, an bonis moribus præditus sit. *Quamvis autem regulariter quilibet præsumatur bonus, nisi contrarium probetur, arg. c. f. x. de præsumt. quæ præsumtio fortior esse solet, si quis natione non sit infamata, qua de re notanda l. 31. §. 21. ff. de edil. edict.* ubi Jctus ait: *Interest nostra scire nationem, præsumtum enim est quosdam bonos esse, quia natione non sunt infamata, quosdam malos videri, quia ea natione sunt, quæ magis infamis est.* Juvat etiam præsumtionem nativitas, si quis honestis sit ortus parentibus: Qualis enim pater, talis regulariter filius; nam

Fortes creantur fortibus & bonis:

Est in juvenis, est in equis patrum

Virtus: nec imbellem feroces

Progenerant aquila columbam.

Horat. lib. 4. Od. 4. Sed cum hæc præsumptiones nimis generales sint, & in pluribus fallant, specialius inquirere debet, an in commendando locum habeant, & ipse bonis moribus excellat. Per bonos autem mores nihil aliud intelligimus, quam præclaram quendam & rectam vivendi rationem secundum virtutem, sive hæc ab ipsa natura proveniat, cum corporis quoque constitutio ad bonos mores multum conferat; Buddeus P. I. Phil. Pract. c. 6. §. 48. (qui tractatus ab eruditis in summo habetur pretio ob insignem utilitatem, ut adeo mirum sit, quod hinc in locis nondum meruerit explicationem.) sive ab habitu quodam ex actionibus crebro repetitis acquisito: quos bonos mores Imperator in Doctoribus atque Magistris quoque requirit, per l. Magistros. 7. C. de Professor. & Medic. ita ut mores adhuc facundia præponat, quæ lex speci-

53

specialem exigeret meditationem, & ulteriorem expli-
cationem. Equidem difficile videtur in aliorum inqvi-
rere mores, atque de iis judicare, interim vita anteaeta
& conversatio de moribus iusta reprehensionem non ob-
noxiiis testantur: quare ad vitam anteaetam, an haec fue-
rit inculcata, respiciendum: utpote quae obscuris saepe
lucem affundit, ac dubia reddit certiora, & de vita praer-
fenti, imo futura, ex praecedenti non tantum vita, sed &
conversazione probabiliter judicatur: cum enim similis
simili gaudeat, hinc noscitur ex socio, cum quo quis
sponte versatur, qui non cognoscitur ex se. Legi mere-
tur Dn. Stryckii Dissert. de Vita anteaeta. quae est in Vol. 3.
Disp. 4. add. c. 9. x. de praesumpt. ex quo colligunt, quod qui
hactenus negligentes fuerunt, etiam in futurum negligentes
praesumantur.

§. VII.

Esse autem morum ac vitae habendam rationem, cum
quis officio publico admoendus, quis dubitaret; cum
in civium saltim numerum, aut opificum, nemo reci-
piatur, nisi de cujus vita anteaeta inter alia satis constat;
nam literae natalitiae non solum de legitimis natalibus,
verum etiam de vita anteaeta atque moribus testari de-
bent. Conf. d. Diss. in c. 3. n. 21. 22. ibique all. Struv. Exercit.
50. th. 50. in fin. ubi dicit: *Nemo in numerum civium recipi
solet, nisi documentum attulerit à Magistratu, sub quo antea
vixit, sui discessus, & quomodo se gesserit*: In vitam enim,
sive mores civium inquirere ipsa Reipubl. salus jubet. Si
itaque commendans malos deprehendat in hoc vel illo

mores, eumque malam vivere vitam cernat, hunc nec commendare debet. Reos ergo criminis postulatos, antequam se purgaverint, ac innocentiam docuerint, non commendabit: *arg. l. un. C. de reis postul.* Quod eo magis attendere debet, ubi de commendando Clerico agitur, quia non tam facile in his, si mali sint, quam in aliis emendatio speranda. Observant enim Theologi, Pastores improbos quam difficillime emendari. *Nihil enim, juxta Chryostomum impossibilis, quam illum corrigere, qui cum omnia sciat; nihilo secius bonum contemnens diligit malum: quæ enim aliis solent esse pro medicina, ut sacra Dei oracula, illa diuturna assuetudine, si non vim omnem amiserit, at iis multo inefficaciora redduntur.* Quæ verba ex Oliver. Bowles. adducit Dn. Stryck. in *Not. ad Jus Eccles. Brun. l. 1. c. 5. §. 14.* verb: *Qui sunt sine crimine.* Nec commendabit illos, qui semper in otio vivunt: otiosi enim præsumuntur vitiosi, cum otia dent vitia, & homines nihil agendo mala agere discant. Dn. Stryck. *d. Diff. c. 2. n. 4. Nov. 133. c. 6.* Otia tamen eruditorum hic excludimus, quæ utilia sæpius produxerunt scripta. Sic dantur otia Theologica, otia Imperialia, otium Noviomagensis &c. Maxime autem ad mores & vitam anteaquam respiciendum, si quis ad officium & munus sacrum sit commendandus. *Quodsi enim opifices adeo operose in vitam anteaquam prius inquirunt, quam aliquem sibi associant; longe diligentius sane in ejus vitam anteaquam inquirendum erit, qui sacro ordini annumerandus est:* sunt verba Dn. Stryckii *d. l. c. 3. n. 23.* Huc facit *c. 7. x. de elect. & elect. potest.* quod vult morum gravitatem esse inquirendam, maxime in Episcopo, qui ad curam aliorum positus in se ipso debet ostendere, qualiter

55

ter alios in domo DEi oporteat conversari: *Totius quippe familie Domini status & ordo nutabit, si quod requiritur in corpore, non inveniat in capite. c. s. dist. 61.* Unde alii eligendi non sunt, nisi hi, quos multo ante nota, probabilisque vita commendat. *c. 6. d. dist. 61.* Imo secundum Jus Canonicum ad Clerum promoveri non debent, qui alia in provincia fuere baptizati, eo quod eorum vita minime sit cognita. *c. 4. dist. 98.*

§. VIII.

Quia vero ipsa electio & per consequens etiam commendatio personæ ad officium Ecclesiasticum maxime illud, quod ad publice prædicandum verbum DEi, & administranda sacramenta est comparatum, res maximi est momenti; nemo mihi vitio vertet, si quædam de requisitis Ministri Ecclesiæ adjecero, quibus in medium allatis, judicium quoque fieri poterit, à quibus commode fieri possit commendatio personæ ad ministerium sacrum. In genere autem asserimus, indignum hoc casu non esse commendandum vel eligendum. *Si enim ad honores mundi sine suffragio temporis, SINE MERITO LABORIS, indignum est pervenire, & notari ambitus solent, quos probitatis documenta non adjuvant, quam diligens, & quam prudens habenda est dispensatio divinorum munerum, & cælestium dignitatum? ne scilicet, indignis conferantur: c. s. in fin. dist. 61.* In quo canone boni operis fructum sibi comparare dicitur is, qui rectum tenet in eligendo Sacerdote judicium: indignum namque qui eligit, non consulit populo sed nocet, adeoque valde peccat. Notabilia adhuc de digno-
ris

oris electione sunt verba *c. 15. C. 8. qv. 1.* Requiritur in ordinando Sacerdote & presentia populi, ut sciant omnes & certi sint, *quia qui presentior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad Sacerdotium.* Ratio hæc habetur in *c. 21. d. qv. 1. qualis enim edificatio erit discipuli, si se intelligat magistro esse majorem:* & notatu omnino dignum, extendi hoc ad inferioris quoque ordinis Clericos, videlicet Exorcistas, Lectores, *ÆDITUOS*, Acolytos, & omnes omnino, qui domui serviunt DEI, (quæ tamen personæ nec in Sacerdotio, nec in sacris à Canonistis esse dicuntur,) ita, ut illi etiam magnopere providere debeant, ut cunctum populum, cui præsentent, conversatione, sermone &c. præcedant; adjecta hac ratione: *quia vehementer Ecclesiam Christi destruit, meliores Laicos esse, quam Clericos.*

§. IX.

In specie vero requiritur, ut Minister Ecclesiæ (1.) habeat veram Catholicam fidem; quod requisitum ipse, quoque Imperator omnibus aliis præponit in *Nov. 123. c. 1. in pr.* quamvis enim in specie de Episcopo ibi agat, utiliter tamen omnia ea aliis Clericis applicari possunt, cum quilibet sit propriæ suæ Ecclesiæ Episcopus. An ergo qui aliquando fuit Apostata, ad ministerium sacrum admittendus sit, quæri posset? Affirmando respondet Dn. Stryk. in *Nov. ad Brunnem. Jus Ecclesiast. L. 1. c. 5. §. 12. verb. Apostata.* modo de serâ ipsius constet pœnitentia & plenaria hæreseos abdicatione, *cum hic suo potius exemplo alios constantiam in Religione docere possit, si sæpius Apostasiam illam*

lam coram populo doleat, & delicti gravitatem exponat: mo-
net tamen caute admodum hic procedendum esse, ita ut
facile fides non sit habenda illi, qui fidem Religionis fe-
fellit semel. Planetyro in Theologia qui adhuc est, seu
qui primo in sanctæ fidei eruditione plantatus, non est ad-
mittendus. Add. Dn. Stryk. d. l. §. 23. verb. Examen Ord-
nandorum: ubi hanc quæstionem remissive tractat, an,
si quis in examine ad ministerium sacrum deprehensus sit non
esse instructus necessaria & sufficiente articulorum fidei & lecti-
onis biblicæ cognitione, nihilominus ordinari possit, & ad mini-
sterium sacrum admitti, sub hac cautione, ut diligentiam &
sedulitatem in discendo sancte promittat? eandemque negat.

§. X.

(2.) Requiritur ut sacri officii Minister pius atque
 probus sit, quemadmodum enim aliunde fructus uberior
 Ecclesiæ non venit, quam à piis verbi divini Ministris; ita
 non aliunde pernicies, quam ab impiis: Hinc Brunnem.
in Jur. Eccles. L. 1. c. 5. §. 9. dicit, experientiam testari, pios
 Ecclesiæ Ministros plus ædificare, quam doctos semipios,
 cum plus possint in Ecclesia exempla, quam nuda verba:
 vel ex mente Augustini, plus valeat in Pastore vivendi
 quam loquendi modus. Homines enim malunt exempla
 quam verba, & mundus hodie non opus habet multa eru-
 ditione, sed in pietate ut informetur, quæ plane videtur
 mortua, dicit Brunn. *d. l.* Vera itaque fides cum vera pie-
 tate & charitate conjuncta esse debet. Rationem egregiam
 reddit Dn. Stryk. *in Not. ibid.* quod ille solus arcanis
 DEI scrutandis par sit, qui pie sancteque vivit: Mysteria
 fidei DEUS secluserit ab iis, qui improbe vivunt, ea sui timentibus

tibus duntaxat referat. Per pietatem vero hic non intelligimus simplicitatem quandam, aut hypocriticam simulationem, à qua nobis cavere debemus: sed sincera pietas illa est, quæ consistit in vera DEI cognitione, ejusque amore. Hinc Buddeus pietatem aliam dicit intellectus, aliam voluntatis, & quidem vel internam vel externam. *P. 2. Phil. Pract. c. 4. Sect. 2. §. fin.* DEum vero non amat, qui proximum odit: exercitium itaque omnium virtutum Christianarum ad veram pietatem requiritur, v. g. mansuetudinis, temperantiæ, castitatis, humilitatis, ne primatum vel honores quis affectet. De humilitate egregius textus est *in c. 12. dist. 40.* qui allegari solet contra Papam, qui se dicit servum servorum. Verba hæc sunt: *Quicumq; desideraverit primatum in terra, inveniet confusionem in caelo, nec inter SERVOS CHRISTI computabitur, qui de primatu tractaverit, nec unusquisque eorum festinet, quomodo aliis major appareat, sed quomodo omnibus inferior videatur; quoniam non qui major fuerit in honore, ille est justior, sed qui fuerit justior, ille major.* Prudentia quoque Ecclesiastica, necessaria est, ut Ecclesiæ Minister videat, quid deceat, quid liceat, quid expediat? & in omnibus officii partibus circumspicere agat.

§. XI.

Tertium requisitum est Eruditio sive doctrina: qui enim alios docere vult, post ordinationem ab aliis doceri non debet. *Nov. 123. c. 2. §. 2.* cum instituendus ab alio, instituere alios non possit. Pertinet huc *Nov. 6. c. 1. §. 2. & 6.* ubi Imperator, voluit, in eruditum sacrorum dogma-

dogmatum ad Episcopatum admitti non debere. add. c. 15. ibi: *qui doctior. C. 8. qv. 1. Conf. Syrac. c. 18. v. 19.* Pietas vero præmittitur, quia omnis eruditionis & scientiæ basis est ac fundamentum, & initium Sapientiæ timor Domini. Quænam autem vera sit eruditio, an illa, quæ consistit in notitia controversiarum Theologicarum, an vero illa, quæ ex assidua S. Scripturæ lectione est acquisita, de eo confer. Brunn. d. l. §. 9. ibid. Dn. Stryk. & ad §. 12. n. 23. verb. *Literatus sit.* De morum gravitate vitæque honestate supra quædam jam dicta fuerunt. Placet ergo solum adponere verba Ziegleri prolata quidem in alia materia, huc tamen omnino facientia: *Instituta Ecclesia primitivæ hac erant, ut Clerici morum gravitate, & vitæ genere omnibus aliis in Republ. civibus antecellerent, ut quantum fieri posset, inania hominum studia & nimiam familiaritatem vitarent. Honoratur ministerium, inquit Bernhardus, epist. 28. morum gravitate, consiliorum maturitate, & actuum honestate. Nec enim doctrina tantum, sed & vita Ministrorum Ecclesiæ in conspectu omnium instar civitatis supra montem sita, posita est, adeoque cavendum ipsis assidue est, ne vitæ humana tenebris involvantur, & abnormi actionum suarum norma scandalum Ecclesiæ præbeant.* de Jur. Majest. L. 2. c. 14. §. 40. Plura qui scire desiderat Ministri Ecclesiæ requisita, præter textus jam all. ex Brunn. *Jure Ecclesiast. evolvat L. 1. c. 6. membr. 10. de vitæ & honestate Clericorum.* Adami Rechenbergii *Dissert. de officio Ministri Ecclesiæ.* Lipsiæ Anno 1703. habit. add. Nov. 123. c. 1. Nov. 6. c. 1. 1. Tim. 3. v. 2. seqq. ad Tit. 1. v. 6. seqq.

§. XII.

Hæc vero omnia & singula, quæ & in genere de officiis Politicis ac secularibus, & in specie de Officiis sacris dicta sunt in præcedentibus, non solum consideranda à commendante, verum etiam ab eo, qui officium aliquod quarit: qui ut prudenter in omnibus se gerat, inspicere debet primo officium, cui præfici desiderat, deinde negotia, quæ in officio gerenda sunt, tum etiam eos, quorum causa, vel cum quibus in officio agendum est; denique se ipsum, ubi accurate judicabit, ne amplius de facultatibus suis quam revera in illis est, speret, sibique tribuat. vid. §. 3. *J. quib. ex caus. manumitt. non lic.* Vires ergo tam animi quam corporis cum rebus in officio peragendis comparandæ, ne infirmum corpus laborioso opprimatur officio. Et quidem tanto accuratius de munere suscipiendo aliisve circumstantiis judicare tenetur, quanto magis novit, quod Principi primario ac principaliter obligetur non saltem ad communem & vulgarem, sed ad exactissimam diligentiam, ad instar negotiorum gestoris & mandatarii. *l. 13. l. 21. C. de mandat.* alios enim antevertit. Scire etiam illum oportet, quod removeri ab officio possit propter imperitiam & insufficientiam, cum cessante causa, cessare quoque debeat effectus: *arg. l. 2. §. fin. ff. de donat.* Peritia vero, & quia idoneus reputatus fuit, causa fuerat concessi & collati officii. Et quamvis hoc durum alicui videri possit, cum hac ratione vitæ subsidia regulariter amittant remoti, fama quoque illorum periclitetur ex opinione ad minimum vulgi; revera tamen illis injuria non fit, qui non temere ex levi aliqua causa, sed ex causa necessaria removenentur. Conf. *Mev. P. 7.*
dec.

61
dec. 27. n. 4. seqq. melius enim est, ut Reipublicæ com-
moda ac jura intacta servantur, quam ut post vulneratam
causam remedium illa quærere necesse habeat: *arg. l. fin. C. in quib. caus. in integr. restitut. necessar. non est.* maxime
cum Respubl. de damno vitando, officiales vero de lucro
captando certent: periculo enim exponitur Respublica,
cum à minus idoneis officia administrantur: ut ita major
Reipublicæ sit habenda ratio: *arg. l. fin. §. s. in fin. C. de jur. deliber.*

§. XIII.

Verum nova hic oritur quæstio, annon quoad re-
motionem differentia sit facienda inter seculares & eccle-
siasticas personas, ita ut mitius cum Clerico, quam cum
alio procedi debeat officiali? Affirmandum hoc videri-
tur, quia Clerici Laicis habentur digniores; *c. s. C. de qv. r.*
cum spiritualia tanto sint temporalibus digniora, quanto
anima præfertur corpori: (ex quo fundamento Impera-
torem sibi subicit Pontifex: vid. omnino *c. 6. x. de Majorit. & obedient.*) sacer enim ordo, quem habent, præroga-
tivam quandam ipsis concedere videtur. Et in hac quod
fuerit sententia Brunnem. colligitur ex ipsius *Jure Eccles.*
L. 2. c. 19. §. 8. Ubi dicit: uti Clericorum, ita custodum,
quoque vel scholæ præceptorum remotiones aut suspen-
siones ob crimina esse admittendas; hoc tamen multo fa-
cilius, *quia his non est ordo collatus.* Imo si tegenda sunt
vitia Clericorum, sequitur, quod non facile Clerici sint
removendi, cum ita vitia in omnium veniant notitiam.
Notabilis est *can. 8. dist. 96.* ubi de Constantino Impera-
tore

tores refertur, quod dixerit: Vere, si propriis oculis vidissem Sacerdotem DEI, aut aliquem eorum, qui Monachico habitu circumamicti sunt, peccantem, chlamydem meam expoliarem, & cooperirem eum, ne ab aliquo videretur: qua de causa Nicolaus Papa ibidem hortatur Ludovicum Imperatorem, ut in hac devotione dictum Imperatorem sequatur, his verbis: Sed hoc quidem diximus, cautos vos redere cupientes, ut si de Domini Sacerdotibus QUI JURE PATRES DICUNTUR, aliquid contigerit vos audire, quod confusionem piis mentibus ingerat, non infrunitum, sed pudoratos filios Noë imitantes, paternam de reliquo verecundiam contegatis, ut affluenti, quemadmodum & illi benedictione repleti, moderante Domino, mereamini.

§. XIV.

Sed his non obstantibus, contrarium verius est: Honor namque ministerii sacri indignis minime patrociniatur, sed piis saltim, bonis atque dignis, quemadmodum enim alias dici solet, legis beneficio dignus non est, qui contra LL. delinquit; arg. l. 37. in fin. ff. de minor. ita, qui contra honorem ministerii aliquid admittit, indignus est, ut privilegiis & beneficiis ab illo honore dependentibus fruatur. Imo malus Clericus de ordine nullum acquirit beneficium, nullam dignitatem: Non enim cathedra facit Sacerdotem, sed Sacerdos cathedram, non locus sanctificat hominem, sed homo locum. Qui BENE sederit super cathedram, honorem accipit ab illa, qui male sederit, injuriam facit cathedra. Ideoque malus Sacerdos de Sacerdotio suo crimen acquirit, non dignitatem: sunt verba *Aufhoris operis imperfecti*
relata

63
relata in c. 12. dist. 40. Hinc miror, quod regulariter dicatur,
in honorem Ministerii mitius procedi debere, cum Mini-
stro irregulari: cum tamen honor ordinis alicujus melius
vix tueri possit, quam si à malis ille purgetur; quo facto
verum omnino est, quod illi, qui animarum curam ha-
bent, *duplici honore sint digni*, & verbis Apostoli se oppo-
nant, contra qui sentiunt: *1. Tim. 5. v. 17. 1. Theff. 5. v. 12. 13.*
Ebr. 13. v. 17. Phil. 2. v. 29.

Imo tamdiu debent incarcerari,

Donec discant deprecari,


Et ministros Christi venerari.

Brunn, in *J. E. L. 3. c. 1. §. 13. in fin.* Quod attinet c. 8. dist.
96. ex illo quidem bene concluditur, excessus Clericorum
potius tegendos quam detegendos esse, sed hoc tum con-
cederemus, si facile emendatio sperari possit, nec quod
Clerico objicitur, ipsum officium concernat, adeoque ex
continuazione officii scandalum metuendum non sit. Quid
vero dicendum de illo remedio, quando Ministri Eccle-
siæ in minorem Ecclesiam transferuntur, & ita poena qua-
dam afficiuntur? Brunnemanno hæc translocatio, quia
tendit ad correctionem, nec Clericus ad incitas redigi-
tur, & scandalum removetur, magis placuit, quam re-
motio; in *J. E. L. 2. c. 19. §. 3.* Verum recte monet Dn.
Stryk. in *Not. ad h. §. 3.* ad verb. *Translocatio*, quod hoc
genus poenæ promiscue probandum non sit: nam & mi-
noris Ecclesiæ salutem ita providendum, ut fidelem & pium
Ministram consequatur. Ergo simpliciter vel suspen-
datur, vel removeatur, & quidem per media aperta non
occulta: displicet enim modus ille procedendi, quo per
occulta media aliquem ad resignationem cogunt: Da
sic

sic einem das Leben dergestalt sauer und schwer machen / daß er von sich selbst abdanken muß. aut enim quis meruit remotionem, aut non, *illo casu* cur opus mediis occultis, cum sine injuria atque injustitia adhiberi possint aperta: *posteriori casu*, quemadmodum aperta, ita multo magis occulta sunt damnanda media, quia sic duplex concurrat injustitiæ actus, alter remotionis, quam Minister non meruit, alter persecutionis.

S. XV.

Possent hæc sufficere, quæ de commendatione tam in genere & in specie, quam occasione hujus materiæ dicta sunt, nisi quæstio hæc superesset, a quibus commodissime fieri possint commendationes? quam brevissimis ita decidimus: Aut quæstio est de moribus commendandi & fieri potest ab illis, inter quos hæctenus vixit, vel cum quibus conversatus, aut si officium jam habuit, a membris illius loci vel collegii, in quo vixit. Aut de eruditione quæritur, & audiendi erunt Professores, Præceptores; nisi publica eruditionis adsint specimina. Rerum enim ubi testimonia adsunt, non opus est verbis. Caute tamen hic est procedendum. Optimum vero esset, atque Reipublicæ consultum, si certa *hoc tantum fine* instituerentur collegia, quorum Assessores essent viri docti, pii, honesti, inculpata vitæ, quo ab his primo inquisitio in mores, vitam, eruditionem, aliasve qualitates, deinde commendatio eo effectu fieri posset, ut si testimonium amoris furo obductum perhibuerint, Princeps vel alius Commendatarius suum contra hoc collegium capiat regressum.





Königsberg, Diss., 1709/13

A. K. H. v.




f

TA 90L







B.I.G.

Farbkarte #13

13

D. F. F. D. S. G. 18. num. 22. N. 28. 1709

DISSERTATIO JURIDICA,

DE

OBLIGATIONE COMMENDANTIS,

QUAM

Annunte Divini Numinis Clementia,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO AC EXCELSISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

W. A.

DOMINO FRIDERICO WILHELMO,

REGNI PRUSSICI, ELECTORATUS ET PRO-
VINCIAR. BRANDENBURG. HEREDE, &c. &c. &c.
EX DECRETO MAGNIFICI AMPLISSIMIQUE SENATUS

in Alma Pregelana

PRO LOCO

PROFESSIONIS EXTRAORDINARIÆ IN JURE
obtinendo,

Publico, at placido Eruditorum examini submitte

DANIEL NICOLAI,

U. J. D.

RESPONDENTE


JOHANNREINHOLDO Grubel

Reg. Pruff.

IN AUDITORIO MAJORI

Horis ante- & pomeridianis

Ad d. Febr. ANNO MDCCIX.



REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.

REGIOMONTI, Literis REUSNERIANIS.